

PONTIFICALE CHARTVIRGI

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE ÆVORUM

condita a Ladislao Juhász

SERIES NOVA

condita ab Antonio Pirnát

Tomus XVIII

Consilium editorum

Andreas Vízkelety præses,

Blasius Déri, Ladislaus Havas, Iosephus Jankovics, Petrus Kulcsár,

Editha Madas, Clara Pajorin, Georgius Székely

Seriem redigunt

Enikő Békés et Ladislaus Szörényi

Subseries

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA

Tomus III

Subseriem redigit

Blasius Déri

Institutum Litterarum Academiæ Scientiarum Hungariæ

Sectio Litterarum Renascentium

Universitas de Rolando Eötvös nominata

Facultas Artium

Institutum Antiquitatis

Cathedra Litterarum Latinarum

[http:// latin.elte.hu/mrh](http://latin.elte.hu/mrh)

MONUMENTA RITUALIA HUNGARICA III
Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Ævorum

Pontificale Chartvirgi

sæculi XI exeuntis de Hungaria (Strigoniense?)
(Zagrabia, Knížnica Metropolitana MR 165)

edidit

NICOLAUS STEPHANUS FÖLDVÁRY

Argumentum Kiadó
BUDAPEST • 2013

Published with the financial support of the Ministry of Education and Culture
through the National Cultural Fund (NKA)
under the project numbered K 78680
of the Hungarian Scientific Research Fund Programmes (OTKA)
and the Hungarian Academy of Sciences (MTA)
through the János Bolyai Research Scholarship

Edited and introduced by
MIKLÓS ISTVÁN FÖLDVÁRY

Supervision by
BALÁZS DÉRI

Scrutinised by
EDIT MADAS

English translations by
ERVIN J. ALÁCSI

English translations scrutinised by
ROBERT A. SKERIS

Cover design by
MÁRIA HODOSI

Cover: XXX

HU ISSN 0133-6711 (BSMRÆ)
HU ISSN 2060-6796 (MRH)
ISBN XXX-XXX-XXX-XXX-X (PCh)

© Argumentum Publishing House, 2013
© Miklós István Földvály, 2013

All rights reserved. No part of this book may be reproduced or translated in any form, by print, photoprint, microfilm, microfiche, digital copy or any other means without written permission from the publisher.

PRINTED IN HUNGARY

Index titulorum

TEXTUS

Ordo, qualiter in ecclesia ab episcopis synodus agatur	3
Secunda vero die	7
Tertia denique die.....	10
Ordo, qualiter in clero constituti, si cum criminalibus noxiis convicti fuerint, ab unoquoque gradu privari debeant vel reconciliari	15
De privatione episcopi	15
Abbas cum deponitur.....	16
Presbyter cum degradandus erit.....	16
Diaconus cum deponitur	16
Subdiaconus cum degradatur	16
Acolytus cum deponendus erit	17
Exorcista cum degradatur	17
Lector cum deponitur	17
Ostiarius cum degradatur.....	17
Dehinc inferioris ordinis Dei	17
Clerus purus cum deponendus erit.....	18
Clericus item cum restituendus erit officio	18
Ostiarius cum restituitur officio	18
Lector cum restituendus erit ministerio.....	19
Exorcista cum restituitur officio	19
Acolytus cum restituendus erit officio	19
Subdiaconus cum restituitur officio.....	20
Diaconus cum restituendus erit officio.....	20
Presbyter cum restituitur officio	20
Abbas cum restituitur officio	21
Episcopus cum restituendus erit officio	21
Qualiter episcopus excommunicare debet infideles.....	22
Qualiter episcopus reconciliet, vel recipit excommunicatum	23
Ordo, qualiter agatur in Adventu Domini.....	24
Item, ordo in vigilia Natalis Domini	24
In festivitate sancti Stephani.....	25
In vigilia Epiphaniæ benedicatur aqua, ut mos est Græcorum, ante vespas sive in octavis	25
De eodem [Maior benedictio salis et aquæ]	30
Ad matutinum post nonum responsum, fiat tractus stellæ in hunc modum.....	33
Ordo in Purificatione sanctæ Mariæ.....	35
Benedictio cineris in capite Quadragesimæ.....	42
Item, ordo in secunda, quarta ac sexta feria	44

Ordo in die Ramispalmarum, qualiter processio agatur	45
Ordo de Cena Domini in nocte	51
Ordo ad dandam pænitentiam	51
Ordo in Cena Domini [Reconciliatio pænitentium].....	53
Ordo in die Cenæ Domini [Missa chrismatis]	60
Item, exorcismus eiusdem vel benedictio eiusdem olei	
ad omnem languorem pellendum, quocumque tempore	62
[Ordo ad mandatum faciendum]	76
Ordo in vigilia Parasceven	80
Ordo in die Parasceven	80
Ordo in vigilia Sabbati	85
Sabbati die	86
Item, quocumque tempore benedictio incensi sacrificii	88
Ordo baptisterii	91
Oratio simul et benedictio pontificis ad confirmandos pueros.....	100
Benedictio aquæ ad albas deponendas	102
Incipit ordo ad succurrendum infirmum, vel baptizandum,	
qui proximus est morti.....	103
[Reconciliatio rebaptizati ab hæreticis	105
[Ordo ad catechumenum ex pagano faciendum]	107
In Sabbato Sancto ad completorium	108
[Ordo in die sancto Paschæ, officium sepulcri].....	108
Exorcismus aquæ [Minor benedictio salis et aquæ].....	109
[Processio paschalis]	111
Benedictio carnis agni in Pascha.....	112
Ordo ad vespervas.....	113
Ad completorium.....	114
Feria sexta	114
Ordo in Inventione sanctæ Crucis.....	115
Ordo in Litaniiis secunda feria	116
Ordo in tertia feria	117
Ordo in quarta feria	118
Ordo ad pluviam postulandam	120
Ordo ad poscendam serenitatem	121
Contra fulgura	121
Ordo in tempore mortalitatis	123
Ordo in tempore belli	123
Ordo in Ascensione Domini	124
Ordo in vigilia [Pentecostes]	125
[Qualiter sacerdotes suscipere debeant pænitentes more solito]	126
[Ordo ad visitandum infirmum]	131
Ordo ad unguendum infirmum de oleo sanctificato.....	132

TEXTUS

/17¹

I. Ordo, qualiter in ecclesia ab episcopis synodus agatur

1. Hora diei prima omnes eiiciantur ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis, ad unam ianuam, per quam ingredi oporteat, ostiarii stent, et, convenientes episcopi, pariter introeant, et secundum ordinationis suae tempus resideant. Post ingressum omnium episcoporum atque consessum vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire. Nullusque inter eos se ingerat diaconorum. Post hos ingrediantur diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Et corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri a tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum metropolitanus elegerit, qui utique et cum eo iudicare aliquid, et diffinire possint. Diacones vero in conspectu eorum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electione coniugali interesse meruerint. Ingrediantur quoque subdiaconi et notarii, quos ad recitandum vel excipiendum ordo requirit. Obseratisque ianuis, sedentes in diuturno /17¹ silentio episcopi et sacerdotes, atque cor totum habentes ad Deum, dicturus est archidiaconus: Oráte. Statimque [...] omnes in terram prosternentur, tam episcopi, quam presbyteri, et fiant a duobus clericis litaniae [...] Facta litanía, dicat metropolitanus hymnum:

Veni, creator Spíritus, mentes tuórum vísita.

2. Post hæc unus ex episcopis senioribus surgens, hanc orationem fundat ad Dominum, dicens:

ADSUMUS, Dómine, Sancte Spíritus, ádsumus, quidem peccáti immanítate deténti, sed in nómine tuo speciáliter aggregáti. Veni ad nos, et esto nobíscum, et dignáre illábi córdibus nostris. Doce nos, quid agámus, quo gradiámur, et osténde, quid effícere debeámus, ut te auxiliánte, tibi in ómnibus placére valeámus. Esto salus et suggéstor et efféctor iudiciórum nostrórum, qui solus cum Patre et eius Fílio nomen póssides gloriósum. Non nos patiáris perturbatóres esse iustítiae, qui summam díligis æquitátem, ut in sínistrum nos non ignorántia trahat, non favor infléctet, /27¹ non accéptio múneris vel persónæ corrúmpat, sed iunge nos tibi effícáriter solúus grátiae tuæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviémus a vero. Quáliter in nómine tuo collécti, sic in cunctis teneámus cum moderatióne pietátis iustítiam, ut et hic a te in nullo disséntiat senténtia nostra, et in futúro pro bene gestis consequámur præmia sempitérna. Amen.

3. Finita oratione, dicat episcopus: Orémus. Archidiaconus: Flectámus génua. Et post paululum: Leváte. Et ipse metropolitanus episcopus, aut alius ex senioribus det orationem:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui nos incólumes misericórdia tua in hunc locum speciáliter aggregásti: mentes nostras, quæsumus, Paráclitus, qui a te procedit, illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem, custós-

¹ Superficies huius sequentisque paginæ valde contrita est. Verba, quæ legi non possunt, supplentur iuxta locos parallelos a Schneider editos, vide OCC 10 (374sq.), qui autem sunt hic unici, redduntur cum [...]

que¹ in tua fide et caritate corroboret, ut exercitatio temporalium conciliorum proficiat nobis ad aeternae felicitatis augmentum. Per.

4. Finita collecta, legatur evangelium secundum Matthaeum:

IN illo tempore. Misit Iesus duodecim discipulos suos, praecipiens eis, dicens: In vitam gentium ne **12'** abiéritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt, domus Israel. Eúntes autem praedicáte, dicétes, quia appropinquábit regnum caelorum. Infirmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos munda-te, daemones eiícite. Gratis accepístis, gratis date.

5. Post, lecto evangelio, dicat episcopus: Oráte.

Pro unanimitate tam cleri, quam populi

6. Imprimis dicantur psalmi:

Ad te, Dómine, levávi.

Deus misereátur nostri.

Ecce, quam bonum.

7. Et preces:

Adiuva nos, Deus salutáris noster.

Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum.

Deus, tu convérsus vivificábis nos.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Meménto congregatiónis tuae.

Ne tradas béstiis ánimas confidétes tibi.

Ne intres in iudícium cum servis tuis, Dómine.

Exsúrge, Dómine, ádiuva nos.

Adiutórium nostrum in nómine Dómini. Qui fecit.

8. Oratio:

PRÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut rationabilia semper meditantes, quæ tibi placita sunt, et dictis exsequámur, et factis. Per.

Pro omnibus episcopis et cuncto clero

9. [Psalmi:]

Miserére mei, Deus.

Deus, in adiutórium meum.

¹ *Intellige cunctósque*

Inclína, Dómine.

10. Et preces:

Sacerdótes tui induántur iustítiam.

*Salvos fac servos **Íſrl** tuos, Dómine.*

Convértere, Dómine, úsquequo.

Mitte eis auxiliúm de sancto.

Dómine, exáudi.

11. Oratio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus: præténde super fámulos tuos et super cunctas congregatiónes illis commíſſas Spíritum grátiae salutáris, et, ut in veritate tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiÓNis infúnde. Per.

Pro rege et populo Christiano

12. [Psalmi:]

Dómine, in virtúte.

Ad te levávi óculos meos.

Ni(si quia Dominus).

13. Et preces:

Dómine, salvum fac regem.

Salvum fac servum tuum.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine.

Nihil proficiet inimícus in eo.

Fiat pax in virtúte tua.

Dómine, exáudi.

14. Oratio:

CONSÉRVA, quæsumus, Dómine, longæva prosperitate pópulo tuo rectórem, quem dedísti, et fámulis tuis tuæ caritátis Spíritum infúnde, et pópulum Christiánum poténtiæ tuæ délixtera ab omni adversitate custódi. Per.

Pro pace et victoria populi Christiani

15. [Psalmi:]

Dómine, refúgium factus.

Qui hábitat in adiutório.

16. [Preces:]

Adiuva nos, Deus salutáris noster.

Exsúrge, Dómine.

Fiat pax in virtúte.

Adiutórium nostrum.

Dómine, ne memíneris.

Dómine, exáudi.

17. Oratio:

HÓSTIUM nostrórum, quæsumus, Dómine, elíde supérbiam, et délixteræ tuæ virtúte prostérne eórum contumáciam. Per.

18. Deinde omnes in suis locis **13'** resideant, et diaconus præparatus, codicem canonum in medio profrens, capitulum Nicæni concilii perlegat, ubi de fide catholica plenius tractatus,¹ qualiter omnes Christicolæ unum Deum in Trinitate et Trinitatem in Unitate venerari, corde credere, ore profiteri et incessanter colere debeant, ubi satis aperte depromitur, quomodo Pater et Filius et Spiritus Sanctus veraciter unus sit Deus. Deinde legatur Liber Officiorum, ut sciant, quo ordine in ecclesia cuncta agantur officia; postea perquirantur presbyteri, qualiter catechumenum facere, energuminos exorcizare, vel scruntia et aurium apertiones, et baptizare debeant.² De dilectione Dei et proximi. De eleemosynarum largitate. De humilitate et castitate. De ieiunio et oratione. De officiis ecclesiasticis, simul et de omnibus cavendis vitiis, et virtutibus adipiscendis. Deinde homelia sancti Gregorii de evangelio suprascripto recitanda, id est:

Cum constet ómnibus.

19. Qua expleta, legitur ex Carthaginensi concilio: De credulitate. **14'**

CRÉDIMUS in Deum, Patrem omnipoténtem, visibílium et invisibílium factórem, et in unum Iesum Christum, Fílium eius. Natum de Patre Unigénitum, hoc est: de substántia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, uníus substántiæ cum Patre, quod Græci dicunt homoúision, per quem ómnia facta sunt in cælo et in terra. Quia³ propter hómines et nostram salútem descéndit, incarnátus est, homo factus per Vírginem Mariám. Passus est, et resurréxit · tertia die. Ascéndit in cælum, ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos, et in Spíritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat, quando non erat, et quia ex nullis existéntibus factus est, vel ália substántia, dicéntes mirábilem Fílium Dei, hos anathematízat Ecclésia cathólica · et apostólica disciplína.

¹ *Intellige tractatur*

² *Hic deesse videtur pars unius fere pagine spatii, quæ in quibusdam ordinibus antecedentibus continet allocutionem Ecce, dilectíssimi fratres et rubricam subsequentem, ut etiam in OCC 5A.*

³ *Malim Qui*

20. His itaque primo die synodali¹ iudicio deliberatis, surgens archidiaconus, dicat: Humiliáte vos ad benedictiónem.

QUI dispérsos Israel cóngregat, ipse vos hic et ubíque custódiat. **R.** Amen.
Et non solum vos custódiat, sed et óvium suárum idóneos custódes effíciat. **14'**
R. Amen.

Ut cum summo Christo pastóre de gregum suórum pastióne gaudeáti in cælo. **[R.]**
Amen.

Quod ipse præstáre dignétur, cuius regnum et impérium sine fine pérmanet in sæcula sæculórum. **[R.]** Amen.

21. Tunc archidiaconus dicat:

In nómine Dómini nostri, Iesu Christi, eámus cum pace.

¹ Ms. synadali

SECUNDA VERO DIE

22. Iterum ecclesiam ingressi. Tunc archidiaconus dicat:² Oráte. Tunc omnes in terra se prosternant, surgensque unus ex senioribus episcopis, [dicat] hanc orationem:

NOSTRÓRUM tibi, Dómine, curvántes génuá córdium, quæsumus, ut bonum, quod nobis a te requíritur, exsequámur, scílicet ut, prompta tecum sollicitúdine gradiéntes, discretiónis assíduæ subtíle iudícium faciámus, ac, misericórdiam diligéntes, clarescámus stúdiis tibi plácitæ actiónis. Per.

23. Tunc ab omnibus respondeatur: Amen. Dicat archidiaconus: Erígite vos, et statim dicat metropolitánus: Orémus, et diaconus: Flectámus génuá, Leváte. Sequitur oratio:

MÉNTIBUS nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus **15'** infúnde, quátenus, in nómine tuo collécti, sic in cunctis teneámus cum moderatióne pietátis iustítiam, ut hic a te in nullo disséntiat volúntas nostra, sed, semper rationábilia meditántes, quæ tibi plácita sunt, et dictis exsequámur, et factis. Per.

24. Oratio:

DEUS, qui nos iustítiam loqui, et, quæ recta sunt, præcipis iudicáre: tríbue nobis, ut nec iníquitas in ore, nec právitas in mente inveniátur, ut puro cordi púrior sermo conséntiat, ostendátur in ópere iustítia, nec appáreat dolus in lingua, sed ex corde véritas proferátur. Per.

² Rasura

25. Deinde legatur evangelium secundum Lucam:

IN illo tēpore. Designávit Dóminus et álios septuagínta duos discípulos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite. Ecce, ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Nolíte ergo portáre sácculum, neque peram, *15^v* neque calciaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómni. Et si ibi¹ fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt. Dignus est² enim operárius mercéde sua.

26. Finito evangelio, statim dicat metropolitanus: Oráte.

Pro infirmis

27. Psalmi:

Dómine, ne in furóre primum.

Beáti, quorum.

Beátus, qui intéllegit.

28. Et preces:

Exclamavérunt ad Dóminum, cum tribularéntur.

Iuxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde.

Mitte eis, Dómine.

29. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, salus ætéRNA credéntium: exáudi nos pro infirmis fámulis et famulábus tuis, pro quibus misericórdiæ tuæ implorámus auxili-um, ut réddita sibi sanitáte, gratiárum tibi in ecclésia tua réferant actiÓnes. Per.

Pro omnibus nobis bona facientibus

30. [Psalmi:]

Ad te, Dómine, levávi.

Ad te levávi óculos meos.

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1.*

31. Et preces:

*Oculi ómnium in te sperántium.¹
Dispérsit, dedit paupéribus.
Mitte eis, Dómine, auxiliúm.*

32. [Oratio:]

OMNÍPOTENS et miséricors Deus: placátus fidéles tuos inténde, qui recoléntes divína mandáta, opem **161** indigéntibus subministrant, ut, sicut eórum devótio nobis est necessária, ita sit tibi semper accépta. Per.

Pro fidelibus defunctis

33. Psalmi:

*Te decet hymnus.
De profúndis.
Confitébor.*

34. Et preces:

*Ne tradas béstiis ánimas confiténtes.
In memória æténa.
Rédimet Deus ánimas sanctórum.
A porta ínferi.
Réquiem æténam dona.*

35. Oratio:

ABSÓLVE, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum · ab omni vínculo delictórum, ut in~~ter~~² resurrectionis glória · inter sanctos tuos resuscitári mereántur · ad vitam æténam. Per resurgéntem a mórtuis.

36. Deinde, omnibus residentibus, sequitur homelia:

HESTÉRNO die, fratres caríssimi, in sýnodo nostra, quædam nobis necessária, Deo auctóre, discússimus, ac salúbriter pertractávimus, hódie vero necessárium díximus³ vestram admonére Christianitátem, ut, ante ómnia et super ómnia Deum diligéntes, absque inítio et sine fine manéntem, credátis étiam Dei Fílium, in nullo a Patris Sanctíque Spíritus poténtia discrétum, de Vírgine natum, passum, mórtuum, die tértia resurrexísse, et quadragésimo die ad cælos ascendísse. Unde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos · et omne sæculum **161** per ignem. Quocírca éxpedit nobis, caríssimi

¹ *Malim sperant*

² *Orig. del.*

³ *Intellige dúximus*

fratres, quatenus in hac præsenti vita taliter vivere studeamus, qualiter pro executione bonorum operum ante tribunal illius securi veniamus, atque, a dextris eius positi, desiderabilem vocem illius audire mereamur: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est.

37. Quibus verbis secunda die peractis, perquirantur, quæ in synodo necessaria sunt, ac diligenti cura pertractentur. Hora autem sexta vel nona expleta, iterum pronuntietur archidiaconus: Humiliate vos ad benedictionem. Tunc episcopus unus dicat benedictionem:

DÓMINUS, rector mentis et linguæ corporalis et spiritalis, det vobis incrementa gratiæ sacerdotalis. **R.** Amen.

Et manu et lingua pauperes Christi recreantes, cum ipsis fiat ovantes. **R.** Amen.

Ut ad dexteram omnipotentis Dei mereamini stare, quando sæculum per ignem debet iudicare, participium Agni Dei percipiat. **R.** Amen.

Quod ipse præstare dignetur, **¶** qui ante constitutionem mundi prædestinatus, et ante finem sæculi iustificatus, in fine mundi reddet glorificatus · per infinita sæcula sæculorum. **[R.]** Amen.

38. Tunc archidiaconus dicat:

In nomine Domini nostri, Iesu Christi, eamus cum pace.

TERTIA DENIQUE DIE

39. Omnibus, ut supra taxatum est, ecclesiam ingressis, hanc item orationem, ipsis in terram prostratis, archidiaconus dicat: Orate. Tunc episcopus unus ex senioribus episcopis dicat hanc [orationem]:

AD te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut, respectu gratiæ tuæ solidati, præcones virtutis efficiamur intrépidi, tuumque valeamus cum omni fiducia loqui verbum.

40. Tunc archidiaconus dicat: Erigite vos, et statim metropolitanus: Orémus, et diaconus: Flectamus genua, Levate. Sequitur oratio:

OMNÍPOTENS, sempitærne Deus, qui sacro verbi tui oráculo promisisti, ubi duo vel tres in nomine tuo congregati fuerint, te médium fore: adesto cœtui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiæ **¶** tuæ nullatenus aberrémus, sed rectum iustitiæ tuæ trãmitem in omnibus teneamus. Per Dóminum.

41. Oratio:

DEUS, qui apóstolis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris: da spíritum sapiëntiæ, quibus dedisti régimen disciplinæ, ut de profectu omnium sanctarum óvium fiant gáudia ætærna pastórum. Per.

42. Sequitur evangelium secundum Lucam:

IN illo témpore. Dixit Dóminus Iesus ad discipulos suos: Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Nolíte iudicáre, et non iudicabímíni. Nolíte condemnáre, et non condemnabímíni. [Dimíttite, et dimittémíni.]¹ Date, et dábitur vobis. Mensúram bonam, et confértam, et coagitátam, et superaffluéntem · dabunt in sinum vestrum. Eádem quippe mensúra, qua mensi fuéritis, remeñtiétur² vobis. Dicébat autem illis · et similitúdinem: Numquid potest cæcus cæcum dúcere? Nonne ambo in fóveam cadunt? Non est discipulus super magístrum. Perféctus autem omnis erit, si sit, sicut magíster eius. Quid autem vides festúcam in óculo fratris tui, trabem autem, quæ est in óculo tuo, non consíderas? Et quómo do potes **18'** dícere fratri tuo: frater, sine, eíciam festúcam de óculo tuo, ipse autem in óculo tuo trabem non vides? Hypócrita, éiice primum trabem de óculo tuo, et tunc perspícies, ut edúcas festúcam · de óculo fratris tui.

43. Finito evangelio, dicat metropolitānus: Oráte.

Pro amicis præsentibus, qui ad synodum
devoti concurrunt

44. Quindecim graduum psalmos · et preces:

*Salvos fac servos tuos.
Mitte eis, Dómine, auxiliū de sancto.
Nihil proficiat inimicus.
Convértere, Dómine.*

45. Oratio:

DEUS, qui caritátis dona per grátiam Sancti Spíritus tuórum córdibus fidélium infúndis, da fidélibus tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis, ut te tota virtúte díligant, [et,] quæ tibi sunt plácita, tota dilectióne perficiant. Per.

Pro viventibus, quibus debitores sunt

46. Hos psalmos, ut supra, et preces:³

*Deus misereátur nostri.
Qui confidunt.
Ecce nunc, benedicite.*

¹ *Add. m. 1. in margine*

² *Orig. del.*

³ *Sequentes tamen versus magis videntur initia esse psalmorum, quam precum.*

47. [Oratio:]

GRÁTIAE tuæ, quæsumus, Dómine, supplicibus tuis tríbue largitátem, ut, mandáta tua, te operánte, sectántes, consolatiónem præsentis vitæ percípiant · et futúrxæ. Per.

Pro his, quos aliquando a debita pænitentia
absolvere rogaverunt

48. [Psalmi:] **18'**

Dómine, ne in furóre tuo.

Beáti, quorum.

Dómine, ne in furóre (secundum).

49. Preces:

Ne tradas béstiis.

Convértere, Dómine.

Exsúrge.

50. Oratio:

PURÍFICA, quæsumus, Dómine, tuórum corda fidélium, ut, a terréna cupiditáte munda-ti, et præsentis vitæ periculis exuántur, et perpétua donatióne firméntur. Per.

51. Quibus expletis, resideat unusquisque in suo loco. Tunc homelia recitanda est, ac explananda ab episcopo, id est: Inter céteras virtútes. Incipit diffinitio dogmatum ecclesiasticorum eiusdem concilii de Trinitate, quia non est confusa in una persona:

CRÉDIMUS unum Deum esse: Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum. Patrem, eo quod hábeat Fílium; Fílium, eo quod hábeat Patrem. Spíritum Sanctum, eo quod sit ex Patre cum Fílio. Non sine discretiÓne · confúsa in una persóna Trínitas, ut Sabéllius dicit, neque separáta · aut dívrsa in natúra divínitas, ut Arius blásphe-mat.

52. De uno Filio, quem Unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis:

Non carnem assúmpsit Pater, neque Spíritus Sanctus, sed Fílius tantum. Natus ex Pa-tre · Fílius Dei **19'** secúndum veritátem natúræ, ex hómine hóminis fílius, ut véritas géniti · non adoptiÓne, non appellatiÓne, sed in utrâque nativitate filii nomen nascén-do habéret, ut esset verus Deus · et verus homo unus Fílius.

53. Item, ex eodem:

Neque sic est natus ex Vírgine, ut deitátis inítium, homo nascendo, accíperet, sed ætér-nus Deus homo ex Vírgine natus est.

54. De Trinitate perfecta:

In Trinitate nihil creatum · aut sérviens, nihil maius aut minus. Nihil grátia æquále, nihil sibi invisibile, nihil creatúris visibile, nihil móribus · aut voluntate diversum, nihil officio singuláre, nec álteri comunicábile, nihil conféssum,¹ sed totum perféctum, quia totum ex uno et unum.

55. De homine usion:

Homoúision ergo in divinitate Patris Fílius, homoúision Patri, et Fílio, et Spíritus Sanctus. Homo et úsios Deo et hómini · unus Fílius, manens Deus in hómine suo, in glória Patris. Non homo propter Deum · vel Christus cum Deo, sicut Nestórius blasphemat. Sed homo in Deo · et in hómine Deus. **197**

56. [De] damnatione quorundam hereticorum:

POST Concílium Nicænum áliud in urbe Romána póstea congregátum est. Quod cathólici epíscopi addidérunt de Spíritu Sancto, quia póstea inolévít hic error, ut clamáre² sacrílego audérent dícere, Spíritum Sanctum factum esse per Fílium. Unde anathematizámus omnes, qui non tota libertate proclámant eum cum Patre et Fílio unius potestátis esse · atque substántiæ. Anathematizámus quoque eos, qui Sabéllii sequúntur errore[m], eúndem dicétes Patrem esse, quem et Fílium. Anathematizámus Arium · atque Eunómium, qui patrí³ impietate, licet dissímili sermóne, et Fílium et Spíritum ásserunt · esse creatúras. Anathematizámus Macedónios, qui, de Arii stirpe veniétes, non perfídiam mutavérunt, sed nomen. Anathematizámus et Phótinum, qui Ebiónis hæresim instáurat, qui Iesum Christum tantum ex María confitétur. Anathematizámus eos, qui duos Fílios ásserunt, unum ante sæcula, et álterum post assumptionem carnis **1107** ex Vírgine. Anathematizámus eos, qui propter hóminis animam rationálem et intelligíbilem in suo córpore non ferunt substántiam nostram, id est: rationálem et intelligíbilem sine peccáto animam, et suscepisse · atque salvásse. Anathematizámus eos, qui verum Dei Fílium extensiónem aut collationem · et a Patre separátum, insubstantívum, et finem habitúrum esse · conténdunt. Si quis non dixerit semper Patrem, semper Fílium, semper Spíritum Sanctum, anáthema sit. Si quis non dixerit Fílium natum de Patre, de substántia divína ipsíus, anáthema sit. Si quis non dixerit Verbum Dómini, Fílium Dei Deum, et ómnia posse, et Patri æquálem, anáthema sit. Si quis non dixerit, quod in carne constitútus Fílius Dei, cum esset in terra, in cælis cum Patre erat, anáthema sit. Si quis dixerit, quod in passióne crucis dolórem sustínuit Fílius Dei Deus, et non caro, quam indúerat, et forma servi, quam sibi accéperat, sicut ait Scriptúra, anáthema **1107** sit. Si quis non dixerit, qui[a] in carne, quam assúmpsit, Christus sedet ad dexteram Patris, in qua ventúrus est iudicáre vivos · et mórtuos, anáthema sit. Si quis non dixerit Spíritum Sanctum de Patre esse · vere ac

¹ *Intellige confúsum*

² *Intellige quidam ore*

³ *Orig. del.*

própie, sicut Fílium de divína substántia, et Deum verum, anáthema sit. Si quis non díxerit Spíritum Sanctum ómnia posse, ómnia nosse, et ubíque esse, sicut Fílium · et Patrem, anáthema. Si quis díxerit Spíritum Sanctum factum, aut Fílium factum, anáthema. Si quis non díxerit ómnia per Fílium et Spíritum Sanctum Patrem fecísse, id est: visibília et invisibília, anáthema. Si quis non díxerit Patris et Fílii et Spíritus Sancti unam divinitátem, poténtiam, unam glóriam, dominatiónem, unum regnum, atque unam voluntátem, ac veritátem, anáthema. Si quis tres persónas non díxerit veras, Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, æquáles semper, vidéntes ómnia, et continéntes visibília et invisibília, ómnia iudicántes, ómnia vivificántes, ómnia faciéntes, **/11'/** ómnia salvántes, anáthema. Si quis non díxerit adorándum Spíritum Sanctum · omni creatúræ, sicut Fílium et Spíritum Sanctum,¹ anáthema sit. Si quis de Patre et Fílio bene sénserit, de Spírítu autem Sancto non recte habúerit, hæréticus erit.

57. *Tunc surgentes, iterum per ordinem resideant in sedibus suis, quos ita alloquitur episcopus:*

ESTÓTE, filii, pacífici, estóte húmiles, estóte prudéntes, ac símplices, estóte miserícordes, et páuperum recreatóres. Estóte Deum et próximum diligéntes, eiúsque mandáta iúgiter custodiéntes, quátenus, delíctis sceléribus expiáti, a vítiis ómnibus · post huius vitæ decúrsum ad ætérnæ felicitátis beatitúdinem · perveníre valeátis.

58. *His taliter prælibatis, cetera, quæ in synodo sunt necessaria, pertractentur. Quibus expletis, hanc orationem super cunctos cleros dicat episcopus:*

NULLA est, Dómine, humánæ consciéntiæ virtus, quæ inoffénsē possit tuæ voluntátis iudícia expedíre. Et ídeo, quia imperfécum **/11'** nostrum vidérunt óculi tui, perfectiónem députa, quæsumus, quæ perfécito æquitátis fine a te conclúdi præsumimus. Te itaque in nostris princípíis occursórem póscimus. Te quoque in hoc fine iudiciórum nostrórum excéssibus adesse precámur, scílicet ut ignorántiæ parcas, ut erróri indúlgeas, ut perfécis votis perfécitam óperis effícáciam largiáris, et quia, consciéntia remordénte, tabéscimus, ne aut ignorántia nos tráxerit in errorem, aut præceps fórsitan volúntas · impúlerit iustítiam declináre, ob hoc te póscimus, te rogámus, ut, si quid offénsiónis in hac sýnodi celebritáte attráximus, condonáre · ac remissibile fácere dignéris, ut in eo, quod solvitúri² sumus aggregátam sýnodum, a cunctis primum absolvámur nostrórum néxibus delictórum, quáliter et transgressóres vénia,³ confiténtes tibi, subsequátur remunerátio sempitérna.

59. *Omnibus adhuc in terra prostratis, respondeant omnes: Amen. Tunc archidiaconus dicat: Humiliáte vos /12'/ ad benedictiónem. Benedictio:*

CHRIŦTUS Dei Fílius, qui est inítium et finis, compleméntum vobis tríbuat caritátis. [R.] Amen.

¹ *Malim* Patrem

² *Malim* solutúri

³ *Mutatio ordinis verborum litteris a m. 1. suprapositis a–e indicata: transgressóres confiténtes tibi vénia subsequátur*

Ut, qui nos ad expletiónem huius fecit pervenire concílii, absolutos vos efficiat · ab omni contagióne delícti. [R.] Amen.

Ut ab omni reátu liberióres effécti, absoluti étiam per donum Spíritus Sancti, felíci réditu vestrárum sédium cubília · reperátis¹ illæsi. [R.] Amen.

Quod ipse præstáre dignétur, cuius regnum et impérium · sine fine pérmanet in sæcula sæculórum. [R.] Amen.

In nómine Dómini nostri, Iesu Christi, ite cum pace.

¹ *Intellige* repetátis

II. Ordo, qualiter in clero constituti, si cum criminalibus noxiis convicti fuerint, ab unoquoque gradu privari debeant vel reconciliari

1. In Toletano canone continetur, quod quisque, ex clero deiectus, non potest id esse, quod fuerat, non-[nisi] gradus amissos ordinabiliter recipiat. Si episcopus fuit, iuxta quod in privatione sua amisit, ita et in reparatione[m] recipiat coram altario /12/ de manu episcoporum anulum, et baculum, et cingulum, et [re]calcietur² scandaliis.³ Si presbyter, orarium et planetam. Diaconus orarium et albam. Subdiaconus · patenam, et calicem, et phanem. Sic et reliqui, qui gradus, illa in reparatione sui recipiunt, quæ, cum ordinarentur, perceperant, et, cum de[de]gradarentur,⁴ perceperant, et, cum degradarentur, amiserant. Quicquid enim inordinabiliter de ecclesiastico negotio factum fuerit, procul dubio irritum erit.

² *Add. m. 1.*

³ *Sic passim pro sandali-*

⁴ *Orig. del.*

DE PRIVATIONE EPISCOPI

2. Episcopus, cum in criminalibus peccatis secundum canonicam examinationem convictus fuerit, ita ut ab officio privari debeat, induatur vestimentis, quibus consecratus fuerat, et cum indutus fuerit, tollatur ei coram altario ab episcopo baculus, anulus, et cingulum, discalcietur scandaliis, iubente primate atque dicente:

Hæc dicit Dóminus: Ecce, ego ipse fériam pastóres, et requíram gregem meum de manu eórum, et cessáre fáciam eos, ut ultra non pascant gre[re/13]/gem meum, sed liberábo eos de ore eórum. Cum iudicáris, condemnátus es, et episcopátum tuum accípiet alter. Potens est tamen Deus, omnem grátiam abundáre fácere in te, et revocáre te in gradum pristínium.

ABBAS CUM DEPONITUR

3. Auferat ab eo episcopus baculum et pedulem, quos in ordinatione ei tradidit, in his verbis:

Malos male perdet, et vineam suam locavit¹ aliis agricolis, qui reddunt ei fructum temporibus suis. Potens est tamen Deus, omnem gratiam abundare facere in te, et revocare te in gradum pristinum.

¹ *Malim* locabit

PRESBYTER CUM DEGRADANDUS ERIT

4. Auferat ab eo episcopus casulam, et desursum dextram scapulam stolam, et calicem, et patenam cum pane et vino · de manibus, dicens:

Redde, quod debes, iam enim non poteris villicare, sed amotus a villicatione, incipe paenitere. Potens est enim Deus, omnem gratiam abundare facere in te, et revocare te in gradum pristinum. **¶13¶**

DIACONUS CUM DEPONITUR

5. Tollat ei episcopus dalmaticam, stolam, et albam · in his verbis:

Ecce, deponit te Dominus de ministerio cenaculi · in inferiori loco, auferens a te stolam iucunditatis. Potens est enim Deus, omnem gratiam abundare facere in te, et revocare te in gradum pristinum.

SUBDIACONUS CUM DEGRADATUR

6. Auferat ab eo episcopus calicem vacuum, et patenam vacuum, et phanem, sicut in ordin[ation]e sibi tradita fuerant, dicens:

Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, sed propter abominationem, quam operatus es, proicien[te]s te hodie, abiiciamus ab ordine.

7. Archidiaconus tollit ab eo urceolum cum aqua · et manutergium, dicens:

Omni habenti dabitur, et non habenti id, quod habet, auferetur ab eo. Potens est tamen Deus, omnem gratiam abundare facere in te, et revocare in gradum pristinum.

ACOLYTUS CUM DEPONENDUS ERIT

8. Tollatur sibi cereostata et urceus cum aqua ab **/14/** archidiacono, a quo et acceperat ea in ordinatione sua, in his verbis:

Hæc dicit Dóminus: Quia convérsus es post cor tuum, quasi equus, in ímpetu vadens in proelium. Milvus in cælo cognóvit tempus suum, tu autem non cognovísti ministérium tibi commíssum, idcirco longe effícieris ab eo. Potens est enim Deus, omnem grátiam abundáre fácere in te, et revocáre te in gradum pristínium.

EXORCISTA CUM DEGRADATUR

9. Auferat ab eo episcopus libellum exorcismi, quem in ordinatione sibi tradidit, dicens:

Tibi offíciúm tráditum fúerat, ut dæmónibus imperáres, sed quia indígnum iudicásti te illi ministério, ecce, auféretur a te, et dábitur álteri fructus eius. Potens est enim Deus.

LECTOR CUM DEPONITUR

10. Tollat ab eo episcopus lectionarium, dicens:

Redde, quod debes, quóniam, quod accepísti, non erat tuum. Potens est enim.

OSTIARIUS CUM DEGRADATUR

11. Auferat ab eo episcopus clavem ecclesiæ, dicens:

Magna est domus Dómini, et ingens locus possessiónis eius. Cuius tibi **/14/** claves tráditæ fúerant, sed propter insipiéntiam tuam longe ab eárum «o»mystério effícieris. Potens est Deus.

DEHINC INFERIORIS ORDINIS DEI

12. Dicant cantando hoc tantum responsorium:

Ecce, Adam, quasi unus ex nobis, factus est, sciens bonum et malum.

13. Poderit tamen per ipsum in depositione unius[cuius]que ordinis dici ab inferioribus.

CLERUS PURUS CUM DEPONENDUS ERIT

14. Auferatur ab eo ex præcepto episcopi ab presbytero cappa, in his verbis ab episcopo prolatis:

Ex hoc enim redde, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.

15. Et post hæc subsequatur a circumstantibus hoc responsorium:

In sudóre vultus tui. Potens est enim Deus.

III. Clericus item cum [r]estituendus erit officio

1. Induatur a presbytero ex iussione episcopi cappa · vel alio indumento, quo uti solent clerici, et dicat:

Induit te Dóminus cýclade auro texta, et imménsis monilibus ornávit te.

2. Et, si non est tonsus, tondatur, et tradatur¹ capite prius a presbytero. Et postquam rasmus est, **1157**² dicant hoc responsorium:

Posuísti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretiósio. [V.] Vitam pétiit a te, et tribuísti ei in sæculum sæculi.

3. Sequatur oratio sine manus impositione:

DEUS, qui mirabíliter hómínem creásti, sed mirabílius reformásti: da huic fámulo tuo, in gradum pristínium restitúto, Ecclésiæ tuæ in ministériis digne famulári, quátenus, de virtúte in virtútem proficiéndo, te mereátur vidére, Deum deórum, in Si-on. Per.

¹ *Orig. del.*

² *Add. m. 4B in summa pagina* Oráte. Ave, María, grátia

OSTIARIUS CUM RESTITUITUR OFFICIO

4. Tradat ei claves episcopus ecclesiæ, dicendo antiphonam:

Vade iam, et noli peccáre, ne detérius tibi áliquíd contíngat.

5. Sequitur:

DEUS, qui nullum réspuis, sed peccántibus per pæniténtiam pia miseratióne indúlgis: da huic fámulo tuo ita in restitutiónis suæ profícere ministério, ut tibi pura mente desérviat, et in tuo famulátu iúgiter assístere mereátur. Per.

LECTOR CUM RESTITUENDUS ERIT MINISTERIO

6. Tradat episcopus ei lectionarium, dicendo hanc antiphonam:

*Spiritus Dómini super te, evangelizáre paupéribus iubet te. **15'***

7. Oratio

DEUS, qui mirábiliter hóminem creásti, sed mirábilius reformásti: da huic fámulo tuo, **illo**, in gradum pristinum restitúto, Ecclésiæ tuæ ministériis digne famulári, quátenus, de virtúte in virtútem proficiéndo, te mereátur vidére, Deum deórum, in Sion.

EXORCISTA CUM RESTITUITUR OFFICIO

8. Det ei episcopus librum exorcismi, dicens hanc antiphonam:

Dóminus locútus est discipulis suis: In nómine meo dæmónia eiícite.

9. [Oratio:]

REDDE, Dómine, huic fámulo tuo, **illo**, commíssam quondam potestátem fugánda dæmones, ut fidéles tui, qui eórum impugnatione vexántur, per huius ministérii operatiónem, te quoque operánte, purgéntur. Per.

ACOLYTHUS CUM RESTITUENDUS ERIT OFFICIO

10. Det ei archidiaconus, episcopo iubente, ceraprata¹ · cum luminibus · et urceum cum aqua, cantando hanc antiphonam:

Deus misereátur tui, et benedícat tibi.

11. [Oratio:]

DEUS, qui mirábiliter hóminem creásti, sed mirábilius reformásti: da huic fámulo tuo, **illo**, in gradum pristí/**16'**num restitúto, Ecclésiæ tuæ ministériis digne famulári, quátenus, de virtúte in virtútem proficiéndo, te mereátur vidére, Deum deórum, in Sion.

¹ *Intellige cereostata*

SUBDIACONUS CUM RESTITUITUR OFFICIO

12. Tradat episcopus ei calicem vacuum, et patenam, et phanone[m], et strictam dicat antiphonam:

Tolle, quod tuum est, et vade, quia ego bonus sum, dicit Dóminus.

13. Archidiaconus det sibi urceum cum aqua · et manutergium, dicens:

Accipe, quæ quondam amisisti.

Deus, qui mirabiliter hóminem creásti, *ut supra*.

DIACONUS CUM RESTITUENDUS ERIT OFFICIO

14. Det ei stolam et dalmaticam, et induendum,¹ dicat responsorium:

Stola iucunditátis induit te Dóminus, et corónam pulchritúdinis pósuit super caput tuum.

[Oratio:]

DEUS, qui ministrántibus tibi sequi præstitisti: concéde huic fámulo tuo, *illo*, reditæ sibi administratiónis · ita officium perágere, quo, fideliter in Ecclésia tua tibi ministrándo, veráciter te sequátur. Per.

¹ *Malim induendo*

PRESBYTER CUM RESTITUITUR OFFICIO

15. Det ei episcopus casulam, et stolam · super collum ponat, dicendo:

Ecce, dat tibi Dóminus fungi sacerdotio, **16'** et offérre sibi incénsum dignum in odórem suavitátis.

16. Det etiam sibi calicem cum vino · et patenam cum pane, cantando antiphonas:

Cálicem salutáris accípíam, et nomen Dómini invocábo.

Ecce, puer meus eléctus, quem elégi: pósuit super eum spíritum meum.

Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ perierat.

17. [Oratio:]

DEUS, qui pérditam ovem inventámque húmeris ad ovíle reportásti: da huic fámulo tuo, *illo*, sacerdoti[i] ministério hódie restitúto, altári tuo sancto conveniénter deservíre, et tibi placéntium cónsequi consórtio sacerdotum. Per.

ABBAS CUM RESTITUITUR OFFICIO

18. Tradat ei episcopus baculum et pedu[ll]es, dicens:

Amíce, tolle, quod tuum est, et vade.

19. Sequitur antiphona:

Opórtet vos, filii, gaudére, quia frater vester mórtuus fúerat, et revíxit, perierat, et invéntus est in ætérnum.

20. [Oratio:]

DEUS, qui pérditam ovem inventámque húmeris ad ovíle [reportásti]: da huic fámululo tuo, **illo**, próspere redintegrátæ suæ dignitátis efféctum, in qua te semper tímeat, tibi que iúgiter placére stúdeat. Per.

EPISCOPUS CUM RESTITUENDUS /17*/ ERIT OFFICIO

21. Primus episcopus ceteris cum fratribus episcopis cingulum, baculum, et anulum, et scindalia, quæ reconciliaturo episcopo sunt danda, præferant coram altario; annuat, dicens antiphonam:

Cito proférte stolam primam, et indúite illum, et date ánulum in manu eius, et calciamenta in pedes eius.

22. Deinde dicantur ei a primate hæc verba:

Hæc dicit Dóminus: Ecce, testem pópulis dedi te, ducem ac præceptórem géntibus · restítui te hódie.

23. Deinde sequitur antiphona:

Ecce, puer meus eléctus, quem elégi, pósuisti super eum spíritum [meum].

24. Tunc tradat ei baculum, dicens:

Ponam te signáculum, dicit Dóminus, in conspéctu meo semper, quóniam elégi te.

25. [Oratio:]

DEUS, qui apóstoli tui, Petri, post negatióne[m] lácrimas suscepísti, nec tamen episcopátum abstulísti: da huic fámululo tuo, **illo**, spíritum sapiéntiæ, cui restituísti hódie régimen disciplinæ, ut de proféctu subditárum óvium tibi met beneplacitórum adipiscátur gáudia pastórum. Per.

26. Archidiaconus vel presbyter soli · in his verbis /17/ priventur ministerio:

Ex hoc sis cessans a ministério quondam tibi concéssó, iam enim non póteris villicáre.

IV. Qualiter episcopus excommunicare debet infideles

1. Episcopus, cum excommunicare vel anathematizare aliquem infidelem · pro certis et manifestis sceleribus dispositum habet, post lectionem evangelii · clerum et plebem · ita debet alloqui:

AUDÍSTIS, dilectíssimi, quanta · et quam horrénda pravitátis et iniquitátis ópera **il-**le, a diábolo instigátus, perpetráre non tímúerit, et quómodo per apostásiam a totíus Christiánæ religiónis cultu · profána mente recésserit. Audístis, quemádmódu[m] canónice ad satisfaciéndum evocátus sit, sed veníre distúlerit, quómodo admónitus fréquénter, ut respíceret¹ a diaboli láqueis, quibus tenétur adstríctus, salubérrimas admonitiónes, obdurátis áuribus cordis, audíre contémpserit. Dóminus dicit in Evangélio · de tali contumáci fratre, qui ecclesiásticam rénuit corruptiόνem:² /18/ ³ Si Ecclésiám non audíerit, sit tibi, inquit, éthnicus et publicánus, id est: iam non computándus inter Christiános, sed inter pagános, quia plerúmque unum membrúm«que» pútridum · totum corpus ínficit. Et ídeo tam perniciosá tempéstas · vel pestis · a córpore Ecclésiæ radícitus evellátur.

2. Tunc archidiaconus, progrediens ante ianuam ecclesiæ, vocet eum nominatim ter, ita dicendo:

Cathólicæ fidei pater vocat te ad sanctam sýnodum.

3. [Excommunicatio]

CANÓNICA institúta et sanctórum pa[t]rum⁴ exéempla sequéntes, ecclesiárum Dei violatóres, vidélicet raptóres, deprædatóres, et homicidas, **illos**, in nómine Patris, et Fílii, et virtúte Spíritus Sancti, necnon auctoritáte episcopis per Petrum, príncipem apostolórum, colláta,⁵ a sanctæ matris Ecclésiæ sinu segregámus, ac perpétuæ maledictiόνis anathémate condemnámus. Sintque maledícti in civitáte, maledícti in agro, maledícti in hórreo,⁶ maledíctæ réliqu[i]æ eórum. Maledíctus fructus ventris eórum · et fructus terræ eórum. Maledícti ingrediéntes et egrediéntes, sint /18/ maledícti in domo, veniántque super eos omnes maledictiόνes, quas Dóminus per Móysen in pópulum, divínæ legis prævaricatórem, se esse missúrum intentávit. Sintque anáthema, maránatha, id est: péreant in secúndo advéntu Dómini. Nullus ei[s] Christiánus ave dicat, nullus présbyter missam celebráre præsumat, vel sanctam communió[n]em dare.

¹ *Malim* respíceret

² *Malim* correptiόνem

³ *Add. m. 4A in summa pagina* si ecclésiám non audíerit, sit tibi

⁴ *Add. m. 1.*

⁵ *Corr. m. 1. de colláti (?)*

⁶ *Malim* maledíctum hórreum eórum

Sepultúra ásini sepeliántur, et in sterquilínium¹ sint super fáciem terræ. Et sicut lucérnæ de mánibus nostris proiécætæ exstinguúntur, sic eórum lucérna in ætérnum exstinguátur, nisi forte resipúerint, et Ecclésiæ Dei, quam læsérunt, per emendatiónem et condígnam pæniténtiam satisfécerint.²

¹ *Corr. m. 1. de inter quilinum*

² *Deest rubrica de lucernis proiectis etc., in ordinibus excommunicationis huic propinquis consueta.*

V. Qualiter episcopus reconciliet, vel recipit excommuni[ca]tum

1. Cum aliquis excommunicatus · vel anathematizatus, pænitentia ductus, veniam postulat, emendationem promittit, episcopus, qui eum excommunicavit, ante ianuas ecclesiæ, et duodecim presbyteri cum eo hinc et inde · circumstare debent, ubi etiam adesse debent illi, cui iniuria vel damnum illatum est, et ibi secundum leges divi/197/nas et humanas · oportet damnum commissum emendari, aut, si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget episcopus, si pænitentiam, iuxta quod canones præcipiunt · perpetratis sceleribus, suscipere velit. Et si ille, ter prostratus, veniam postulat, culpam confitetur, pænitentiam implorat, de futuris cautelam spondet, tunc episcopus, apprehensa manu eius dextera, eum in ecclesia introducat, et ei communionem · et societatem Christianam reddit. Post hæc secundum modum culpæ · pænitentiam ei iungat, et litteris per parochiam dirigat, ut omnes noverint, eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam episcopis hoc notum faciat. Nullus episcopus alterius parochianum excommunicare præsumat · sine conscientia vel consensu proprii episcopi.

2. Psalmi et preces super pænitentem:

Ps. Miserere mei, Deus.

Ps. De profundis.

Ps. Dómine, exáudi secundum.

Pater noster. Et ne nos.

Salvum fac servum.

Mitte ei, Dómine.

Esto ei, Dómine.

Nihil proficiat.

Dómine.

3. [Oratio:]

DEUS imménsæ cleméntiæ · et inæstimábilis indulgéntiæ, qui humánæ /197/ fragilitátis lapsum, diabólicæ fraudis invídia ingéstum, Unigéniti Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi pretiósó sángine dignátus es reparáre: inclína, quæsumus, aurem pietátis tuæ supplicatióne nostris, et hunc fámulum tuum, **N.**, qui suadéntis³ mortis auctóre, a te, qui vera vita es, peccándo deviáre, seque vínculo anathématis non est

³ *Intellige suadente*

véritus statúere, pæniténdo redeúntem seréno vultu respícere, ac pulsánti misericórdiæ tuæ iánuam aperíre dignáre, quátenus, Sancti Spíritus præveniénte virtúte, cuius múnere ómnium peccatórum tribúitur remíssio, sanctorúmque ómnium apostolórum suffrágio, quorum vice in ligándis · solvendisque crimínibus, licet indígni, sacerdotáli fúngitur¹ officio, corpori² sanctæ Ecclésiæ purificátum · atque absolutum redíntegres, cunctósque eíusdem scéleris pravitate · seu cooperándo, sive consciéndo, necnon étiám colloquéndo, convescéndo, atque cohabitándo · coinquinátos, medéla grátia tuæ salúti restítue; castigátos · ac absolutos, et quos [secundum] veracíssimam promissió-
nem tuam nullátenuS mori desíderas, concéssa peccatórum vénia, ad semper viréntia æté-
rnæ vitæ pásqua, gregi tuo sociátos, perdúcas. Per eúndem. **/20'**³

¹ *Intellige fúngimur*

² *Ms. corp'o*

³ *Add. m. 4A in summa pagina: XII in ortu libra*

VI. Ordo, qualiter agatur in Adventu Domini

1. Ad matutinum lectiones legantur · de Esaia usque ad Nativitatem Domini. Primum responsorium ante altare sancti Salvatoris incipiatur, et primus versus ibidem cantetur. Secundus versus ante altare sanctæ Crucis. In dextro autem altari tertius. Glória vero Patri in medio choro dicatur. Et sic chorus, repetens responsum, stando perficiat. Et data benedictione secunda, ut mos est, sedeant. Ad tertium responsum Glória Patri non dicatur, ad sextum vero et nonum dicatur. T[e Deum]⁴ non dicatur Glória in excélsis Deo. [...] Diaconus vero sive subdiaconus · non dalmatica, sed casula utatur. In matutinis laudibus, ut mos est monachorum, non⁵ *Miserére mei, Deus, sed Dóminus regnávít* dicatur. Et sic per omnes dominicales faciant. Nuptiæ autem usque ad Natale Domini cessare debent · in diebus Decembris. *O, Sapiéntia* incipiatur, hoc est: in vigilia sanctæ Lucæ ad vespas.

⁴ *Spatium vacuum dimidia fere linea, litteris nigris destinatum, non dicatur intellige tam ad Te Deum, quam ad Glória in excélsis Deo.*

⁵ *Intellige non, ut mos est monachorum, Miserére*

ITEM, ORDO IN VIGILIA NATALIS DOMINI

2. Ad matutinum evangelium Cum esset desponsáta legatur, et cetera, ut ordo dat. Ad missam prophetia Propter Sion legatur, **/20'** et secunda epístola: Paulus, servus, sub una collecta. *Allelúia* non dicatur. Si vero die dominico evenerit, *Allelúia, Veni, Dómine* dicatur. Ad vespas hymnus *Veni, Redemptor géntium* cantetur, post collectam antiphona *Compléti sunt* a duobus fratribus alta voce incipiatur. Ad matutinum lectiones de Esaia legantur: Primo témpore; Consolámini, consolámini; Consúrge. Ad primum et secundum et tertium responsum dicatur: Glória Patri. Ad cetera responsa non nisi in sexto et nono. In secundo nocturno legantur sermones · ad ipsum diem pertinentes. In tertio nocturno · legantur evangelia, primum: Exiit edíctum, secundum: Pastóres, tertium: In princípío erat Verbum. Ad nonum responsum · versus *Puer natus est nobis* dicatur. Ad vespas vero *In princípío* responsum cum Glória et ceteris versibus dicatur. Ad primam missam legatur prophetia: Pópulus géntium, qui. Epístola: Appáruit grátia Salvatóris. Et sequentia *Natus ante sacula* dicatur. Et sic finita missa, et *Ite*, missa est a diaco-

no peracto, legatur evangelium: Liber generati6nis, quo finito, sequatur: Te, Deum, laudamus. Et sic per ordinem finiatur matutinum. Postea a duobus /21'/ clericis antiphona dicatur: *Ecce, compléta sunt 6mnia*. Ad secundam missam legatur prophetia: Spírítus D6mini. Epístola: Appáruit beníginitas · sub una collecta, et sequentia *Eia, recolámus* dicatur. Ad maiorem missam prophetia: Sciat p6pulus meus legem meam. Epístola vero Multifárie sequatur. Et sequentia *Grates nunc omnes canatur*.

IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI

3. Ministrent diaconi, dalmaticis ornati. In festivitate sancti Ioannis, ministrent presbyteri, casulis decorati. Post vesperum vero sancti Ioannis, sint parati omnes parvuli. Duo autem ex his, ascendentes pulpítum, incipiant alta voce antiphonam: *Sínite párvulos veníre*. Et sic ceteri accedant ad chorum, responsum *Centum quadragínta quáttuor milia* decantantes; in eodem responso Gl6ria Patri non cantatur. Similiter neque in *Veníte*, neque in ceteris responsis dicatur. Te, Deum, laudamus non canatur. Neque *Allelúia* ad missam, sed *Laus tibi, Christe*, neque Gl6ria in excélsis Deo, nec Credo in unum Deum, neque *Ite*, missa est, sed *Benedicámus D6mino* dicatur. Et diaconus sive subdiaconus tantum alba utatur. A quinta Kalenda Ianuarii usque ad Nonas ipsius, ubicumque dies dominicus evererit, *Dum médium siléntium* cantetur. In vigiliis Epiphaniæ ieiunium celebretur, ad missam *Allelúia* dicatur. In nocte Epiphaniæ · in Romana /21'/ ecclesia invitorium non canitur. Finito nono responso, legatur evangelium: Factum est. Quo finito, incipiatur Te, Deum, laudamus. Et sic finiatur matutinum. Missa vero agatur ordine suo.

VII. In vigilia Epiphaniæ benedicatur aqua, ut mos est Græcorum, ante vespas sive in octavis

1. [Litania:]

Dicámus omnes: D6mine, miserére.

Ex toto corde et tota mente orámus te, D6mine.

Pro perpétua pace et benígna constituti6ne obsecrámus te.

Pro sancta Ecclésia cath6lica, quæ est in toto orbe diffúsa, rogámus te.

Pro past6re nostro, illo, et <et> omni cléríco eius deprecámur te.

Pro rege nostro et omni exércitu eius, orámus te.

Pro his, qui infirmántur, et divérsis langu6ribus detinéntur, implorámus te.

Pro áeris tempéris et fecunditáte terræ exorámus te.

Pro remissióne peccatórum et emendati6ne morum adorámus te.

Exáudi nos, Deus, in omni orati6ne nostra, quia pius es. Dicámus omnes.

2. Lécio epístolæ beáti Pauli apóstoli ad Corinthios.

FRATRES. Nolo enim vos ignoráre, qu6niam patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in M6yse baptizáti sunt in nube et in mari. Et omnes eándem escam spiritálem manducavérunt, et omnes eúndem potum spiritálem bibérunt. Bibébant autem de spiritáli, consequénte eos, petra. Petra autem erat Christus.

3. *Responsum*

Viderunt te aqua, Deus, viderunt te aqua, et timuerunt multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, alleluia, alleluia. V. Illuxerunt 122'1 coruscationes tuae orbi terrae, vidit et commota est terra. Multitudo.

4. *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*¹

FACTUM est, cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato et orante, apertum est caelum. Et descendit Spiritus Sanctus · corporali specie, sicut columba, in ipsum, et vox de caelo facta est, [dicens]:² Hic est Filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Et ipse Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putaretur Filius Ioseph. Qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Iannæ, qui fuit Ioseph.

[1.] Qui fuit Heli.	[31.] Qui fuit Levi.	[14.] Qui fuit Sémei.
[4.] Qui fuit Melchi.	[34.] Qui fuit Ioseph.	
[7.] Qui fuit Máthiæ.	[37.] Qui fuit Mélea.	
[2.] Qui fuit Mathat.	[40.] Qui fuit Nathan.	[17.] Qui fuit Iohánna.
[5.] Qui fuit Iannæ.	[43.] Qui fuit Obed.	[20.] Qui fuit Salathiel.
[8.] Qui fuit Amos.	[46.] Qui fuit Náason.	[23.] Qui fuit Addi.
[3.] Qui fuit Levi.	[49.] Qui fuit Esrom.	[26.] Qui fuit Er.
[6.] Qui fuit Ioseph.	[52.] Qui fuit Iacob.	[29.] Qui fuit Iorim.
[9.] Qui fuit Naum.	[55.] Qui fuit Tare.	[32.] Qui fuit Símeon.
[10.] Qui fuit Hesli.	[58.] Qui fuit Ragau.	[35.] Qui fuit Iona.
[13.] Qui fuit Matathíæ.	[61.] Qui fuit Sale.	[38.] Qui fuit Mennan.
[16.] Qui fuit Iuda.	[64.] Qui fuit Sem.	[41.] Qui fuit Daud.
[19.] Qui fuit Zoróbabel.	[67.] Qui fuit Matúsale.	[44.] Qui fuit Bóoze.
[22.] Qui fuit Melchi.	[70.] Qui fuit Malálehel.	[47.] Qui fuit Amínadab.
[25.] Qui fuit Hélmodan.	[73.] Qui fuit Seth.	[50.] Qui fuit Phares.
[28.] Qui fuit Eléazar.	[11.] Qui fuit Nagge.	[53.] Qui fuit Isaac.

122'1

[56.] Qui fuit Nachor.	[18.] Qui fuit Resa.	[51.] Qui fuit Iudæ.
[59.] Qui fuit Phalech.	[21.] Qui fuit Neri.	[54.] Qui fuit Abrahæ.
[62.] Qui fuit Cáinam.	[24.] Qui fuit Chosan.	[57.] Qui fuit Seruch.
[65.] Qui fuit Noe.	[27.] Qui fuit Iesu.	[60.] Qui fuit Heber.
[68.] Qui fuit Enoc.	[30.] Qui fuit Maat.	[63.] Qui fuit Arfaxat.
[71.] Qui fuit Cáina.	[33.] Qui fuit Iuda.	[66.] Qui fuit Lamech.
[74.] Qui fuit Adam.	[36.] Qui fuit Elíachim.	[69.] Qui fuit Iareth.

¹ *Add. m. 3A in summa pagina*

² *Add. m. 3A in margine*

³ *Ordo nominum est incongruus, quia scriptor verticaliter intellexit, quae horizontaliter erant concepta. Intellige secundum numeros insertos.*

[12.] Qui fuit Maath.	[39.] Qui fuit Máthatha.	[72.] Qui fuit Enos.
	[42.] Qui fuit Iesse.	[75.] Qui fuit Dei.
	[45.] Qui fuit Sálomon.	Iesus autem plenus Spíritu
[15.] Qui fuit Ioseph.	[48.] Qui fuit Aram.	Sancto, regréssus est
		a Iordáne. ³

5. [Oratio:]

IESUS, Deus noster, sapiéntia et virtus Patris, charácter et splendor substántiæ eius, per quem operátur Pater in Spíritu, perfíciens ea, qui venísti ad Iordánem, et baptizátus es a próprio servo, purgatióne non índigens, sed nobis lavácrum regeneratiónis constítuens: reple corda nostra grátia consubstántiális et orándi Spíritus tui, et exúre vítia ómnia, et instábili nos in orthodóxa fide, ut corde perfécto · et ánimo pervígili, tibi grátias referámus, simul et Spíritu Sancto · nunc et semper et in sæcula sæculórum. [R.] Amen.

6. [Præfatio:] Per ómnia. Sursum corda. Grátias agámus Dómino, Deo nostro. Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre **usque** omnípotens ætérne Deus.

TRÍNITAS supersubstántiális, **/23'** diviníssima et benigníssima, quæ Christianórum gressus ínspicis, Dei Sapiéntia: dírige nos in mysticórum eloquiórum tuórum ignotíssimum · et splendidíssimum · et summum vérticem, ubi simplícia et archána theológia sunt coopérta sacraménta.

Te enim Deum imménsa voce glorificántes, supernórum elementórum creatúram agnóscimus, quómodo oblitánium opus tuum formídet te, Dómine, quóniam quidem cónvenit omni creatúræ laudem tibi deférre, huius rei grátia ad secúnda elementórum transímus eleménta, quæ et ipsa scabélli pedum honóre meruérunt. Vidéntes enim terræ creatúram immóbilem permanére, intellégimus tuam, quæ tenet natúra, inconspicibilitátem. Simíliter et maris arguméntum, quáliter laudet te iúgiter, qui fecísti illud, quod quidem turgens flúctibus, áridam impúgnat, totíus orbis festínans dissólvere fines, et área pulsátu domátur, et términum tuum expavéscens, in semetípsum átrahit¹ flúctibus. Sed nec fóntium vires infirmátæ sunt, ad referéndam glóriam império tuo, Dómine, flúminum autem fórtium profúnda réumata, quæ retinéri non póterant, ut in arca Dómini feréntem hic illícque cursus natúram súbito negavérunt, et ínviam substántiam pérviám demonstrásti, tibi soli, Dómino universitátis, laudes · **/23'** dirigimus. Pro quo, sancte Dómine, ineffábilis et immutábilis, qui sedes thronum glóriæ, et tuéris abýssos, qui in sapiéntia fecísti cælum, et astrórum adornásti chorum, immortális · et investigábilis, invocámus te, qui incapábilis et intellectuábilis · fuísti et pérmanes, Christus enim, únicus Fílius tuus et Deus noster mundo appáruit, et mundum ornans illustrávit, et inimícum mundi deiécit, et peccátum mundi suscepit. Sanctificávit aquárum fontes, et illuminávit hóminum ánimas.

¹ Ms. athrait

Hódie salútis nostræ capítulum fit, hódie deitátis Agnus baptizátur in aqua, et baptizátus baptizántem sanctificávit. Hódie mare lætátur per aquam Iordánis, sanctificatiónis grátiam suscípiens, hódie grátia Sanctíssimi Spíritus, sanctíficans aquas · in remissióne peccatórum, appáruit, hódie cælum terræ congáudet, et omnis terra lætátur. Hódie sol orítur mundo sine occásu, et mundus luce respléndet, hódie luna corúscis rádiis cum mundo corúscat, hódie lúcidæ stellæ nitóre orbem terræ pulchríficant, hódie nubes plúvia iustítiæ · cælitus humanitátem irrórant, hódie congregatiónes aquárum tergunt dorsa hóminum¹ · vestigiis Dómini, hódie increátus a própria **/24'/** creatúra sponte mánuum impositiÓNem suscepísti, hódie prophéta ad conditórem procédit, sed timóre astat, videns Dei condescensiónem, hódie Dóminus a baptísimo urguétur, ut exáltet in excélsu humanitátem, qui cælos inclínat, et facit mária, sicut Agnus, præcursóri astat. Hódie prophetális manus vérticem ígneum tangit, ut nos post eum lavácro regeneratiónis indúcat, hódie Iordánica fluénta homínibus efficiúntur sanitátes, hódie odoríferis unguéntis omnis creatúra potítur. Hódie aquis Iordánicis culpæ diluúntur, hódie paradísus homínibus aperítur, et iusti cohábitant nobis. Hódie sale aquæ² maris in dulces convertúntur apparitióne Dómini, hódie véteri laménto éru sumus, et, tamquam novus Israel, salváti sumus, hódie, vetéribus pannis peccáti exúti, novis túnícis incorruptiÓNis indúti sumus, hódie tenebrósa nocte liberáti sumus, et lúcida die iustítiæ potáti³ sumus, hódie ab idolórum erróre liberáti sumus, et via salútis nobis patefacta est Dómini apparitióne, hódie a morte líberi et peccáto, impiissimórum idolórum fugámus insániam. Hódie splendidíssima omnis creatúra osténsa est, hódie superióra inferióribus uniúntur, et infe**/24'/**rióra cum súperis festivitátem concélebrant. Hódie spiritális et magni lúminis orthodoxórum sollémnitas lætátur, hódie, baptizáto Iesu, totus mundus illuminátur. Hódie regnum cælórum cælitus consecúti sumus, regni enim Dómini non erit finis, et præcedénte festivitáte · hodiérna festívitás · maius demónstrat miraculórum augméntum. In præcedénte quippe festivitáte terra gaudébat in præsepío, quæ suscepit Dóminum suum, hóminem factum, in præsénti vero festivitáte totus mundus illuminátur. Illis namque magis iterántibus · ostendébat te in oriénte aspiciens stella, hic testátur desúrsum Pater, qui génuít: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácuít. Unde et nos, peccatóres, consonánter clamémus:

Magnus es, Dómine, et mirabília tua ópera, et nullus sermo súfficit ad laudem miraculórum tuórum. Tuo enim consílio perdúcis univérsa, tuo império cóntines creatúram, et tua providéntia gubérnas mundum. Tu enim ex quáttuor eleméntis creatúram compáginans, quáttuor tempóribus círculum anni coronásti, te formídant omnes intellegíbiles virtútes. Te laudat sol, te gloríficat luna, te depre**/25'/**cántur astra, tibi obœdit lux, te métuunt abýssi, tibi sérvíunt fontes, tu extendísti cælum, sicut pellem,

¹ *Malim* sternunt dorsa, cf. νῶτα ὑποστρωνύει et dorsa substérnunt, sed *considera etiam phrasim sicco* (*id est terso*) vestígio

² *Intellige* salsæ aquæ, cf. τὰ ἀλυρὰ ὕδατα et salsæ aquæ, sed *considera etiam rubricam infra, de sale in aquam mittendo.*

³ *Malim* potíti, sed cf. φωτιζόμεθα

tu firmásti terram super aquas, tu circumvallásti mare aréna, tuo spirámine áerem ef-fudísti, angélicæ virtútes tibi minístrant, angelórum chori te adórant, sex alárum Séra-phim circumvallántes¹ et stantes te laudant, multórum oculórum Chérubim inaccessí-bili glória tua cooperántur.² Te enim, Deus exsístens incircumscripciónis, sine inítio, et ineffábilis, beneplácitus Patris, venísti ad terram, formam servi accípiens, et in simili-túdinem hóminum factus. Non enim dedignátus es · propter víscera misericórdiæ tuæ, Dómine, vidéri a diabólo tyránnide pati · genus propter humánum,³ sed venísti, et salvásti nos. Fatémur grátiam, prædicámur misericórdiam, non occultámus benefí-cium: virgínalem sanctificásti úterum partu tuo. Tu enim, cum homínibus conversá-tus, Iordánica fluénta sanctificásti, cælitus mittens Spíritum Sanctum tuum, et cápita delitescéntium ibídem contrivísti dracónum.⁴ Ipse ergo, amátor hóminum, rex, ad-ésto, et nunc per advéntum Sancti Spíritus sanctífica aquam, et da ei grátiam redem-ptiónis · et benedictiónis. Fac eam incorruptiónis donum, peccatórum absolutiónem, lan/25/ guéntium medélam, dæmónibus horribílem, contráriis virtútibus inaccessíbi-lem, angélica fortitúdi-ne plenam, ut omnes hauriéntes et suméntes · hábeant eam ad emendatió-nem animárum et córporum, ad medélam passiónum, ad sanctificatió-nem domórum, ad utilitátem omnem idóneam. Tu enim, Dómine, per aquam et Spíritum renovásti «in» véterem natúram a peccáto, et per aquam operuísti sub nube⁵ peccátum, et per mare liberásti fílios Israel de servitúte Pharaónis, et per Móysen genus Hebræó-rum. Tu enim interrupísti in erémo petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt, et sitiéntem pó-pulum tuum satiásti, et nóxias aquas sub Elisæo sale curásti.

Hic mittat sal in aquam.

Ipse et nunc, tu, Dómine, sanctífica hanc aquam Spíritu Sancto tuo, et da ómni-bus, tam accipiéntibus, quam tangéntibus, vel uténtibus sanctificatió-nem, benedicti-ó-nem, purgatió-nem, libertátem, sanitátem, ut per eleménta, et per hómines, et per án-gelos, per visibília et invisibília · glorificétur nomen tuum, Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti, nunc et semper et in sæcula sæculórum. [R.] Amen.

7. Tunc diaconus, vertens se ad circumstantes, dicat:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

8. Sequitur oratio: Inclínate cápita vestra Deo. /26/

¹ Ms. circumvalléntes

² *Malim* cooperiúntur, cf. φόβω τῆς ἀπροσίτου σου δόξης κατακαλύπτεται et timóre inaccessíbilis maiestátis tuæ cooperiúntur

³ Cf. οὐ γὰρ ἔφερες ... θεάσασθαι ὑπὸ τοῦ διαβόλου τυραννοῦμενον τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων et Non enim sustinuísti ... vidére a diabólo vim pati genus humánum

⁴ Ms. dracónem, cf. δρακόντων

⁵ *Malim* sub Noe, cf. ἐπὶ τοῦ Νῶε et sub Noe, sed pro sub nube considera etiam lectionem superiore.

DE EODEM

[MAIOR BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ]

9. *Benedictio salis:*

EXORCÍZO te, creatúra salis, in nómine Dei Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri, Iesu Christi, et in virtúte Spíritus Sancti; exorcízo te per Deum vivum, et per Deum verum, qui te ad tutelam humáni géneris procreávit, et pópulo, veniénti ad credulitátem, per servos suos consecrári præcépít. — Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hæc creatúra salis in nómine Trinitátis efficiátur salutáre sacraméntum, ad effugándum inimícum; quam tu, Dómine, sanctificándo sanctífices, benedicéndo benedícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in visceribus eórum, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus est.

10. *Léctio libri Regum.*

DIXÉRUNT viri civitátis ad Elisæum: Ecce, habitátio civitátis huius óptima est, sicut tu ipse próspicis, sed aquæ amaríssimæ sunt, et terra stérilis. At ille ait: Afférte mihi vas novum, et mittam in illud sal. Qui cum attulíssent, egressus ad fontem aquarum, misit in eum sal, et ait: Hæc dicit Dóminus Deus, sanávi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterílitas. Sanátæ sunt ergo aquæ usque ad diem hanc iuxta verbum Elisæi, quod locútus est.

11. *Secundum Ioannem: /26'/*

IN illo. Vidit Ioánnes Iesum, veniéntem ad se, et ait: Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccáta mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, et ego nesciébam eum, sed, ut manifestarétur in Israel. Proptérea veni ego, in aqua baptízans; et testimónium perhíbuit Ioánnes, dicens: Quia vidi Spíritum, descendéntem, quasi colúmbam, de cælo, et mansit super eum. Sed, qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum descendéntem, et manéntem super eum, hic est, qui baptízat in Spíritu Sancto. Et ego vidi, et testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei.

12. *Exorcismus ad aquam:*

EXORCÍZO te, creatúra aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum, totíus sæculi creatórem, ut mundam te exhibeas contra omnem morbum atque insídias inimíci, et ubicúmque aspérta fúeris, sit, propítio Deo, defénsa domus ipsa; sicut defénsæ fuérunt domus Hebræórum per signum sánguinis Christi, sic defendántur, Dómine, domus famulórum tuórum et famulárum; in ipsíus nómine te exorcízo, qui verbo suo fontes emanáre præcépít; in ipsíus nómine exorcízo, qui filios Israel per médium mare edúxit; in ipsíus nómine te exorcízo, qui super te suis pédibus ambulá-
*/27'/*vit; in ipsíus nómine te exorcízo, quem Ioannes in te baptizávit, ut omnis spíritus

erróris · et omnis¹ phantásiaē dæmonum · per hanc aquam aspersionis effugentur et separéntur. Per Dóminum nostrum, Iesum Christum, Fílium tuum. Qui ventúrus.

13. Alia:

PRÆSTA, Dómine, tuum salutáre remédiū super hanc creatúram salis et aquæ, ut, ubicúmque intercèsserit, ad ánimæ et córporis proficiat sanitátem. Per.

14. [Exorcismus ad salem:]

EXORCÍZO te, creatúra salis, per Deum vivum, per Deum, qui te per Elisæum prophétam in aquam mitti iussit, qui divína voce ore suo locútus est ad discípulos suos, dicens: vos estis sal terræ, qui per apóstolum Paulum dixit: cor vestrum sale cónditum est; ideóque efficiáre sal exorcizátum, ad expugnándum inimícum, et omnem incúrsum dæmonis per virtútem et nomen Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus.

15. Præfatio:

Uet iustum est, æquum et salutáre. Nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine, Deus cæli · et terræ, cuius virtúti súbdita sunt univérsa, cuius verbo procreáta sunt ómnia: supermitténdo supermítte Spíritum tuum Sanctum super hanc creatúram aquæ, ut fiat aqua sanctificáta in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti; ipsa te cognóvit, altíssima salus · et respéctor perpétuus, ad quem húmilis² /27/ orámus et pétimus, ut exáudias, et misereáris précibus nostris, ut ubicúmque hæc aqua benedícta, te iubénte, aspérsa fúerit, hábeat sibi domus gáudium, spem, honórem perpétuum; ut omnes malívoli ínvidi · expellántur et separéntur. Iteráto te álloquor, aqua, quæ lucis similitúdinem habes, tu sub cælo, tu super cælum, tu sub terra, tu super terram, super te ínvocho nomen sanctum atque mirábile Dei, qui te sua poténtia suspéndit super cælos, congregávit in terra, míscuit mari, qui archánis et límpidis velócibus ventis plúere præcépit, et ad usus hóminum lavácrum carnis dedit, et sitiéntibus potum subministrávit, super quam étiam Spíritus Dómini non solum ferebátur, sed étiam fertur. Adiúro te per Spíritum Dei vivi, adiúro te per vocem tonítrui coruscationis treméndi cælestis regis. Adiúro te per lignum mystérii, de quo aqua percússa · statim dulcis facta est. Adiúro te per eum, qui cuncta creávit. Necnon temnas vocem humilitátis meæ, sed expéllas omnem umbram, omnem Sátanan, et omnes machinatiónes diabólici spíritus immundórum sive Pythonárum, sive errántium, sive invocatióne[s], quæ mágicæ artis, sive præcantatórum arguménta, sive draconum, et ómnium vólucrum, et viperárum, /28/ quia ímperat tibi Dóminus noster, Iesus Christus, Fílius Dei vivi, ut mox, cum aspérsa fúeris in nómine Dei omnipoténtis Sábaoth, sive in domo, sive in víneis, sive in pecóribus, sive in seminátis campis, sive in qualicúmque creatúra, sive in potu · data fúeris hómini, valetúdine deténto, aut malígni infestatióne percúso, mox expéllas et exclúdas omnem malígnum, ut possit homo

¹ *Intellige* omnes

² *Intellige* húmiles

velócius salvus fieri · per virtútem · et nomen Dómini nostri, Iesu Christi, qui neque dici, neque scribi, neque computári potest, cui nomen Deus est, qui per ángelum tuum, Dómine, fontem Hagar ostendísti, et ex eo Ismaélem potásti, qui púeri tui, Abrahæ, in Mesopotámia preces exaudísti, et ómnia desidéria cordis eius implésti, qui fámulum tuum, Móysen, in desérto petram percútere, et ex ea aquam producere, et pópulum potáre iussísti, qui aquam amáram, immísso ligno, dulcorásti: ita benedícere dignéris hanc aquam aspersionis · vel potationis, ut ubicúmque aspérsa fúerit in tuo nómine, omnes iaculationes sævas inimíci expéllat. Illud étiam rogámus, ut sicut ad domum Raguélis ángelum Raphaélem mittere dignátus es, et Asmódeum dæmonem colligávit, símile beneficium dómni huic præstes, ut mox, cum aspérsa fúerit, numquam illic, vel in eádem domo consisténtibus **128^v** hábeat áliquam potestátem, sed confúsus et distríctus discédet. Per Christum, Dóminum nostrum. Per quem maiestátem tuam.

Sanctus. Sanctus. Sanctus.

16. **Require:**

Exorcízo te, creatúra aquæ.
Deus, qui ad salútem humáni.

17. **[Oratio:]**

INCLÍNA, Dómine, aurem tuam, et exáudi nos, qui ambulásti et sanctificásti eas:¹
benedic ómnibus nobis, qui inclinámus cervíces, et significámus servitútis hábitum, et dignum fac resíduum vitæ nostræ tempus, ut hic sumptus aquárum · fiat nobis in sanitátem ánimæ et córporis. Per.

18. **Finita oratio[ne], incipiatur antiphona:**

Fontes aquárum sanctificáti sunt a Christo apparénte.

19. **Et dum dixerint: Hauríte aquas, hauriant aquam cum calice, et sic bibant in Domino, propter diversas infirmitates, et ut² benedictio superius testatur.**

¹ *Intellige aquas, cf. ὁ ἐν Ἰορδάνῃ βαπτισθῆναι καταδεξάμενος καὶ ἀγιάσας τὰ ὕδατα et qui in Iordáni baptizári dignátus es et sanctificásti aquas*

² *Ms. ait*

**AD MATUTINUM POST NONUM RESPONSUM, FIAT TRACTUS STELLÆ
IN HUNC MODUM**

20. Ita ut tres magi¹ sint parati, uno stante ante altare sanctæ Mariæ, et incipiente alta voce:

Stella fulgóre nímio rútilat.

21. Et alio in dextro altari repetenti:

Stella fulgóre nímio [rútilat].

22. Tertioque in sinistro prosequente in ipsum:²

Stella fulgóre nímio rútilat.

23. Et simul cantantes, veniant simul ante altare sanctæ Mariæ:

*Quæ regem regum **129**1 natum monstrat, quem ventúrum olim prophéta signáverant.*

24. De altari autem accipiant vascula, mystica munera continentia: Aurum Gaspar. Tus Melciar. Myrrham Balthasar. Et sic cantantes, descendant ad Herodem:

Eámus ergo, et inquirámus eum, <et>³ offerámus ei múnera: aurum, tus et myrrham.⁴

25. Herodes autem, residens in solio suo · in media ecclesia coronatus, inquirat magos hoc modo:

Regem, quem quæritis, natum esse quo signo didicístis?

26. At contra magi:

Ipsum natum esse didicimus in oriénte, stella monstránte.

27. Et Herodes:

Si illum regnâre créditis, dícite nobis.

¹ *Orig. del.*

² *Malim idipsum*

³ *Orig. del.*

⁴ *Add. m. 3B in ima pagina 28^v–29^r*

Chaldææ gentes venerántur me reveréntes.
Me métuunt Arabes, mihi parent usque fidéles.
Impero Tharsénsi próprio sub iure cohórti.

Hæc est causa viæ: reges sumus ex Arabítis,
quærimus hic regem, regnántibus imperitántem,
quem, natum mundo, lactat Iudáica virgo.

28. Et magi:

Hunc regnare faténtes, cum mýsticis munéribus et de terra longínqua adorare vénimus.

29. Scribæ vero, subtilibus induti, et mitras habentes in capitibus, sedeant circa Herodem, librosque teneant in manibus, sciscitante eos hoc modo:

O, vos scribæ, interrogati dícite, si quid de hoc púero scriptum viderétis in libris.

30. Respondeant scribæ:

Vídím[us], dómine, in prophetárum líneis, nasci Christum in Bétlehem, civitáte David, prophéta sic vaticinánte:

31. Et sic imponat testimonium chorus:

Bétlehem, non es mínima.

32. Tunc Herodes, dimittens magos a se, dicat:

Ite, et de púero diligénte[m] investigáte, et invénto, redeúntes mihi renuntiáte.

33. Redeuntes ergo magi ab Herode, «et inspicient» **129¹** et inspicientes stellam, digitoque monstrantes, dicat unus:

Ecce, stella.

34. Et alter:

Ecce, stella.

35. Tertiusque:

Ecce, stella.

36. Et sic, simul incedentes, diffiniant:

In oriénte prævísa, íterum præcédit nos lúcida.

37. Et duo clerici, [c]appis induti, stantesque iuxta imaginem sanctæ Mariæ, tenentis Dominum parvulum in manibus, imponant hunc versum:

Qui sunt hi, quos stella ducit nos ad éxitos,¹ inaudíta feréntes?

38. Respondeant magi:

Nos sumus, quos cérnitis, reges Tharsis, et Arabum, et Saba, dona feréntes · Christo regi, Dómino nato, quem, stella ducénte, vénimus [adoráre].²

¹ *Intellige adeúntes*

² *Add. m. 3B in margine*

39. Iuxta stantes, imaginemque Domini digito monstrantes, dicant ad magos:

Ecce, puer adest, quem quæritis; iam properate et orate, quia ipse est redemptio nostra.

40. Tunc, salutantes tres magi Dominum, dica[n]t:

Salve, princeps populorum.

41. Auriger, dans munus, dicat:

Súscipe, rex, aurum.

42. Similiter et turiger:

Tolle tus, tu, vere Deus.

43. Myrrhiferque:

Myrrham, signum sepulturæ.

44. Angelicus puer, indutus dalmatica, stans superius, dicat:

Impléta sunt ómnia, quæ prophétice dicta sunt; ite, viam remeantes áliam.

45. Tunc magi, redeuntes per aliam viam, angelicoque responso ovantes, et imponant antiphonam, usque ad chorum cantando venientes:

*O, regem cæli, cui tália famulántur obséquia: stábulo pónitur, **130'** qui cóntinet mundum, iacet in præsépio, et in núbibus tonat.*

46. Finita autem, incipiat cantor alta voce: Te, Deum, laudamus, et sic peragatur matutinum ordine suo.

VIII. Ordo in Purificatione sanctæ Mariæ

1. Post horam tertiam, schola stante in choro, dicat pontifex hanc orationem:¹

ERUDI, quæsumus, Dómine, plebem tuam, ut quod extrínsecus ánnua tríbuis devotióne venerári, intérius ássequi grátia tuæ luce concéde. Per.

2. Hac dicta, schola exeunte de choro, incipiatur a cantore responsum:²

Postquam³ impléti sunt dies.

¹ *In margine incipitur a m. 3C alia, recentior cærimonia eiusdem ordinis: Perlecta tertia, pontifex sollemnibus indutus vestibus, cum turibus et crucibus exiens de sacrario, veniens ad locum, ubi consecrandi sunt cerei, ante altare dicit hanc orationem: Erudi.*

² *Add. m. 3C in margine interno Sequitur responsum. Eadem m. inseruit textui principali omissum - quam inter Post et impléti (vide infra).*

³ *Textus originalis fuerat Post impléti, -quam insertum est a m. 3C.*

3. Illo expleto, sequantur cetera usque ad certum locum responsa. Cum autem pervenerint, intrando ecclesiam, cantantes¹ responsum:

Gaude, María Virgo. [V.] Gabriélem.

4. Illo finito, dicatur hanc² oratio:³

FAMULÓRUM tuórum, quæsumus, Dómine, delictis ignósce, et,⁴ qui tibi placere de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui, Dómini nostri intercessióne salvémur. Per.

5. Qua finita, benedicatur novus ignis:

DÓMINE, sancte Pater, omnipotens, ætérne Deus: benedícere et sanctificáre dignéris ignem istum, quem nos indigni suscipimus · per invocatiónem Unigéniti Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi, quem, hódie in templo præsentátum, iustum Simeónem diu exspectántem in ulnis suscepisse nóvimus, et salutáre tuum ante faciém ómnium populórum esse lumen, scílicet **130** gentibus, et glóriam plebis tuæ, Israel, prophético spírítu dócuit. Te quæsumus, Dómine, benedícere dignéris lumen istud, et ómnibus illud mánibus gestántibus · verum lumen tuæ maiestátis concéde, ut te agnoscentes, te diligétes, te quærétes · per viam virtútum ad te váleant perveníre. Per.

6. Benedicto igne, incipiatur antiphona:

Ant. Ave, grátia plena, Dei Génitrix Virgo: ex te enim ortus est sol iustítiae, illúminans, quæ in ténebris sunt; letáre et tu, sénior iuste, suscipiens Iesum in ulnas, liberatórem animárum nostrárum, donántem nobis · et resurrectiόnem.

7. Interea, dum cantatur antiphona, benedicantur cerei hoc modo. Benedictio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum, ulnis sancti Simeónis, in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti: tuam deprecámur súpplíces cleméntiam, ut hos céreos, quos nos, fámuli tui, in tui nóminis magnificéntia suscipiétes, gestáre cúpimus, luce accénsos, benedícere, et sanctificáre, atque lúmine supérnæ benedictiόnis accéndere · dignéris, quátenus eos tibi, Dómino, Deo nostro offeréndo, digni et sancto igne tuæ dulcíssimæ caritátis accénsi, in templo sancto glóriæ tuæ repræsentári mereámur. Per.

¹ Ms. cantenten

² Intellige hæc

³ Del. m. 3C Hac ... oratio, excepto Post impléti sunt. In margine prosequitur ab eadem manu rubrica ordinis recentioris cærimoniæ: Versiculus: Post partum. Oratio: Famulórum.

⁴ Malim ut

8. Antiphona:¹

*Adórna thálamum tuum, Sion, et súscipe regem, Christum, ampléctere Mariám, quæ est cælestis porta: ipsa enim portat regem glóriæ **I31'I** novo² lúminis; subsístit Virgo, addúcens in mánibus Fílium ante lucíferum, quem, accípiens Símeon in ulnas suas, prædicávit pópulis Dóminum, Deum esse vitæ et mortis, et Salvatórem mundi.*

9. Sequitur alia oratio:

DÓMINE, Deus omnípotens, créator cæli et terræ, rex regum et Dóminus domínantium: exáudi nos, fámulos tuos, clamántes et orántes ad te. Precámur te, Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, qui ómnia ex níhilo creásti, et iussu tuo per ópera apum hunc liquórem ad perfectiónem cérei veníre fecísti, et qui hodiérna die petitióem iusti Símeónis implésti, «te humíliter deprecámur,³ ut has cándelas, ad usus hómīnum · et ad sanitátem animárum et córporum · sive in terra, sive in aquis · per invocatióem sancti tui nóminis et per intercessiόem sanctæ Mariæ Vírginis, Genitrícis tuæ, cuius hódie festa devóti percólimus, [et] per «quam» preces ómnium sanctórum tuórum benedícere et sanctificáre dignéris, ut hæc plebs tua, illas honorífice in mánibus portán[te]s,⁴ cantádo teque laudádo, tu exáudias vocem illíus de cælo sancto tuo · et de sede maiestátis tuæ, propitiúsque sis ómnibus clamántibus ad te, quos redemísti pretiόso ságuine tuo. Qui vivis.

10. Antiphona:⁵

*Respónsum accépit Símeon a Spírītu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini; et cum indúcere[n]t púerum in templum, accépit eum in ulnas suas, et benedixit **I31'I** dicit eum, et dixit: Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace.*

11. Oratio:

BÉNEDIC, Dómine, Iesu Christe, hanc creatúram cérei, supplicántibus nobis, et infúnde ei per Crucis tuæ sanctæ virtútem, benedictiόem cælestem, ut, qui eam ad repelléndas⁶ ténebras humáno géneri tribuísti, talem signáculo sanctæ Crucis tuæ fortitúdinem⁷ et benedictiόem accípiat, ut in quibuscúmque locis accénsa sive pósita fúerit, discédet et contremíscat diábolus, et fúgiat pállidus cum ómnibus minístris suis · de habitatióibus illis, nec præsumat ámplius inquietáre serviétes Deo. Proínde súpplices quæsumus, Dómine, ut emíttas ángelum tuum, Raphaélem, ut qui evúlsit et éxpulit a Sara et Tobía dæmonem mortíferum, et [in]festántem⁸ cónterat illum, et

¹ *Add. m. 3C in margine Ant.* Ave, grátia

² *Intellige* novi

³ *Orig. del.*

⁴ *Add. m. 1.*

⁵ *Add. m. 3C in margine Ant.* Adórna

⁶ *Intellige* repelléndas

⁷ *Corr. m. 1. de* formídinem

⁸ *Add. m. 1.*

perdat de cunctis habitatiõibus colentiũ Deum, de basilicis, de dõmibus, de ángulis, de léctulis, de refectõriis, de univõrsis locis, in quibuscũque Deo famulãntes hábitant et requiẽscunt, dõrmiunt, vígilant, ámbulant · et consístunt; non váleat ámplius inquietãre · vel pavõrem immíttere super illos, quos chrísmatis tui úntio fecit esse munítos. Benedíco te, creatúra ceræ, in nómine Dõmini, Dei nostri, et sanctæ Trinitátis, ut sis exterminãtio diáboli, et õmniũ contubernãliũ eius. Per eum, qui vivit ... in unitãte.

12. [Præfatio:] Per ómnia sæcula **132'** sæculõrum. Dõminus vobíscum. Sursum corda. Grátias agãmus Dõmino.

Uet iustum est, æquum et salutãre. Quia per sereníssimam ac placidíssimam stellam, Genitrícem tuam, cuius sacratíssimum nomen per ineffãbile méritum stella maris interpretãtur, humãnum genus illuminãre dignãtus es; pro hoc máxime gãudio hodiérna die ovãntes, et ídeo in nostris mánibus venerãbiliter cãndelas ferẽtes, et incessãbili voce clamãntes, ut pro dulcíssimo amõre · et clementíssima intercessiõne tuæ Genitrícis, dignæ semper Vírginis nos, indignos, sed tamen pretiõso sãguine tuo redẽmptos, te, ætérno ac lúmine vero fãcias clemẽter pérfrui. Per.

13. *Alia oratio:*

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui per Móysen, fãmulum tuum puríssimum ólei liquõrem, ad luminãria ante conspéctum tuum iúgiter consignãnda, præparãre iussísti: benedictiõnis tuæ grátiam super hos cæreos benígnus infúnde, quãtenus sic adminístrent lumen extérius, ut, te donãnte, lumen Spíritus in nostris non desit m...entibus¹ intérius. Per.

14. *Illã dictã, incipiat cantor antiphonã:*²

Lumen ad revelatiõnem gẽntiũ, et glóriã plebis tuæ, Israel. [Ps.] Nunc dimíttis servum tuum, Dõmine. Quia vidérunt. Quod parãsti.

15. *Et sic cantetur mutuãtim, et interim candelæ accendantur. [Oratio:]*

ILLÚMINA, quæsumus, Dõmine, pópulum tuum, **132'** et splendõre glóriæ cor eius semper accẽde, ut Salvatórem suum et incessãnter agnõscat, et verãciter apprehẽdat. Dõminum nostrum.

16. *Tunc accedant duo presbyteri, et tollant capsã cum reliquiis, incipiente sacerdote antiphonã:*

Senex púerum portãbat.

17. *Et tunc redeant inde. Quã finita, incipiant duo clerici hos versus:*¹

¹ *Rasura inter*

² *Non deletur rubrica originalis, sed inseritur a m. 3C alia, ordinis recentioris carimonia: Quã finita, aspergat cum aquã benedictã, et turificet, et accipiens manu sua, accendat candelã, cantans hanc antiphonã: Lumen. Nunc dimíttis, per omnes versus, reciprocando antiphonã: Lumen. Sequitur oratio: Illúmina.*

1. *Lætetur omne sæculum,
veritati rédditum,²
diéi penset prétium,
retráctet mystérium:
templo Deus pro hómine
præséntatur hódie.*
2. *Magnus⁶ ante luciferum
et mundi princípium
sit parvus, sit⁷ infántulus,
verus, non phantásticus,
ex custódia,⁸ Virgine
natus⁹ est mirífice.*
3. *Dives rex sine témpore,
sit¹⁶ pauper in témpore,
cali sedens palátio,
náscurtur¹⁷ in stábulo,
Virgo Mater et báiuula,†,
nulla ibi áltera.*
8. *In templo mater púerum
læta ducit plúrimum,
præséntat Deo Fílium, **133**†
Dóminum ipsum³ ínclytum,
colúmbas atque túrtures
offért Deo simplices.⁴*
9. *In colúmba diléctio,
mútu¹⁰ perpétuo,
in túrture est cástitas
gemináque sánctitas,
quia hæc¹¹ Virgo méruit,
hæc offérre débuit.*
10. *Hunc Símeon ut áspicit,
unctis ulnis accéperit.¹⁸
Dimítte, dicit, Dómine,
me in pace hódie,
vidérunt mei óculi¹⁹
salutáre Dómini.*
15. *Hoc lumen cor illúminet,
et hoc corpus rútilet,
ut mente atque corpore
claræ factaque⁵ óptime
laudétis Deum plénius
vestris in opéribus.*
16. *Hoc lúmine castíssima,
Génitrix gloriosíssima,¹²
hoc lumen ventre prótulit,¹³
hoc intácta p[é]perit,
istud ad exéplum¹⁴ détulit,
Símeon hoc éxtulit.¹⁵*
17. *Hoc lumen est altíssimus
summi Patris Fílius,
puer iste tenérrimus
Deus est integérrimus,²⁰
diérum antiquíssimus,
primus et novíssimus.*

¹ Non deletur rubrica originalis, sed inseritur a m. 3C alia, ordinis recentioris cærimonia: Post orationem: Aspérges. Exeunte processione, responsorium: Gaude, María, et dum pervenerint ad ecclesiam, sequitur antiphona, et oratio de patrono ecclesiæ. In reversione hymnus: Quod chorus, et dum pervenerint ad ecclesiam, versiculus: Respónsum accépit. Oratio: Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo inviolabíliter. Intrante vero processione, unus de chorariis incipiat antiphonam: Cum indúcerent. Alii: Benedíctus, sine Glória Patri, et sic intrent ad ecclesiam. Missa vero agatur sollempniter ordine suo.

² AH (Codex Cremifanensis 309 sæculi XII/XIII) veritátis réditum

³ AH ipsum Deum

⁴ AH súpplices

⁵ AH clarefácti

⁶ Rasura

⁷ AH fit ... fit

⁸ AH coní. ex, sed iuxta codicem Cremifanensem et — casta Dei

⁹ AH factus

¹⁰ AH coní. mútua, in codice tamen Cremifanensi mútu^o, ut etiam supra

¹¹ AH hæc quia

¹² AH digníssima

¹³ AH pértulit

¹⁴ AH templum

¹⁵ Strophæ 16–17. in AH ordine converso sunt.

¹⁶ AH fit

¹⁷ AH coní., sed iuxta codicem Cremifanensem nascétur

¹⁸ AH iustus ulnis áccipit

¹⁹ AH óculi mei

²⁰ AH intérminus

4. *Nutritur, qui vivificat,
crescit, qui magnificat,
datis obædit légibus,
súbditus paréntibus,
Deus, creátor ómnium,
iussa complet ómnium.*¹
5. *Mira hæc dispensátio,
mira est⁵ dignátio:
non lucens, sed lucíbilis,
Deus invisibilis
vidétur in præsépio,
Virginis in g[r]émio.*
6. *Legem servat piíssimus,⁷
ne<c> óblat[r]et impius,
sicut in lege scribitur:
infans circumcíditur,
servántur dies próvide,
et contemplántur⁸ hódie.*
7. *María, sancta fémina
Virgo integérrima,
nullis tacta excéssibus,
nihil debet légibus:
iussa servat · legália,
pro peccátis hábita.*
11. *Parátum omni pópulo
longínquo et ex próximo
ómnium lumen géntium,
grátia et præmium,
lumen et plebis <et> glória
Israel non módica.*
12. *Omnes gentes, accédite,
cérnite et créдите:
lumen inaccessible,
lumen invisibile
appáret et illúminat,
et in templo rútilat.*
13. *Vidéte, omnes pópuli,
ómnibus quia Deum,⁹
lumen, Deum¹⁰ de lúmine
accurréntes <as>sumite,
accédite, precámini
et illuminámini.*
14. *Per te¹² lumen in córdibus
hoc diébus ómnibus
lúceat, corpus áctibus,
ferte lumen mánibus,
cándelas lumen¹³ <u>téneant,
ut obscúra péreant.*
18. *Quibus te, Virgo, láudibus
éfferam² in tálibus:
meus³ nescit sermo, déficit,
stupor sensum éximit,
fil[i]um hebes,⁴ Dómina,
non per viri ópera.*
19. *Moti sunt dialé[c]tici,
victi sunt hæretici,
concúbuit, si[c] péperit:
syllogísmus périit,
mundána sapiéntia
victa est⁶ a fémina.*
20. *Sion, adórna thálamum,
et inténde **133**I cánticum,
surge, appáre fúlgide,
Christum regem súscipe,
quem Mater Virgo¹¹ génuít,
Virgo Mater péperit.*
- Letétur omne.*

¹ AH hóminum² Corr. m. 1. de ófferam³ AH mens⁴ AH habens⁵ AH hæc⁶ AH victi sunt⁷ AH puríssimus⁸ AH compléntur⁹ AH omnes Christum Dómini¹⁰ AH Deum, lumen¹¹ AH Virgo Mater¹² AH Ferte¹³ AH m.

18. Et sic perveniant cantando ad ecclesiam, ubi celebranda est missa, et dicatur hæc oratio ante «a» ianuas ecclesiæ a sacerdote: Orémus.

DA, quæsumus, Dómine, pópulo tuo inviolábilem fidei firmitátem, ut qui Unigénitum tuum, in tua tecum glória sempitérnum in veritate nostri córporis natum de Matre Vírgine confiténtur, et a præsentibus liberéntur advérsis, et mansúris gáudiis inserántur. Per.

19. Hac peracta, incipiat cantor antiphonam:

Cum inducerent. Sequatur psalmus: Benedíctus.

20. Et ita, voce alta¹ cantando antiphonam, accedant in chorum. Ibiq̄ue, finito psalmo sine Glória Patri, dicatur hæc oratio:

PÉRIFICE in nobis, quæsumus, Dómine, grátiam tuam, qui iusti Simeónis expectatióem implésti, ut sicut ille, priúsq̄am Christum Dóminum vidére mererétur, mortem non vidit, ita et nos vitam obtineámus ætérrnam. Per.

21. Deinde accedant pueri quattuor, et canant hymnum:

*Qui sine peccáto templo est oblátus ad aram
a nobis clemens crímina quæque demat.*

1. *Quod chorus vatum venerándus olim
Spíritu Sancto cécinit replétus,
in Dei factum Genitríce constat
esse María.*

2. *Hic Deum cali Dominúmque terræ
Virgo concépit, peperítque Virgo,
atque post partum méruit manére
invioláta.*

3. *Quem senex iustus 1341 Símeon in ulnas
in domo sumpsit Dómini gavisus,
ob quod optátum próprio vidére
lúmine Christum.*

4. *Tu libens votis, pétimus, p[re]cántum,
regis atérni Génitrix, favéto,
clara quæ celsi résidens (Olýmpi
regna pe)tísti.*

5. *Sit Deo nostro decus et potéstas,
sit salus semper, sit honor perénnis,
qui poli summa résidet in arce
trinus et unus. Amen.*

22. Hymno expleto, celebretur missa per ordinem:² *Suscépmus, Deus.*

¹ Mutatio ordinis verborum litteris a m. 1. suprapositis a–b indicata: *alta voce*

² Rasura unius fere lineæ

IX. Benedictio cineris in capite Quadragesimæ

1. [Exorcismus:]

EXORCIZO te, cinis, in nómine Dei Patris omnipoténtis, et in nómine Iesu Christi, Fílii eius, et Spíritus Sancti, qui te per ignem in favíllam convérte præcépit, ut, sicut iussióne Dei per sanctum fámulum eius, Móysen cinis vítulæ in pópulo aspérsus omnem congregatióne Israel sanctificávit, ita et tu exorcizátus sis · in nómine sanctæ Trinitátis · in terra et cilício aspérsus; in eis, qui scrutínia sunt habitúri, super stantes vel transitúros, diábolus non láteat, sed manifestétur et expellátur, ut puri et sincéri inveniántur. — Te autem pétimus et rogámus, Pater omnipotens, ætérne Deus, ut, sicut Ninivítarum pópulus ad prædicatióne Ionæ prophétæ, misericórdiam tuam, Dómine, exorántes, suórum véniam meruérunt cónsequi peccatórum, ita et hi, qui ad tuam grátiam percipiéndam **134** veníre desíderant, amputátis máculis carnálibus per sacri baptísmatis regeneratióne, suórum finem constituant vitiórum. Per.

2. Oratio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: parce metuéntibus, propitiáre supplicántibus, et mittere dignáre sanctum ángelum tuum de cælis, qui benedícat et sanctíficet cíneres istos, ut sint remédium salutáre ómnibus, nomen tuum sanctum humíliter implorántibus, ac semetípso pro consciéntia delictórum suórum accusántibus, ante conspéctum divínæ cleméntiæ tuæ facínora sua deplorántibus, vel sereníssimam pietátem tuam suppliciter obnixéque flagitántibus. Præsta, quæsumus, per invocatióne sanctíssimi nóminis tui, ut, quicúmque eos super se aspéserint pro redemptiáne peccatórum, córporis sanitátem · et ánimæ tutelam percípiant. Per.

3. Oratio:

DEUS, qui non mortem, sed pæniténtiam desíderas peccatórum: fragilitátem humanæ condicióne benigníssime réspice, et hos cíneres, quos causa proferéndæ humilitátis · atque promeréndæ vénix capítibus nostris impóni decérnimus, benedícere pro tua pietáte dignáre, ut, qui nos cínerem esse, et ob pravitátis nostræ méritum · in púlverem rever**135** súros cognóscimus, peccatórum ómnium véniam · et præmia pæniténtibus repromíssa misericórditer mereámur. Per.

4. Post iniciatur antiphona:

Exáudi nos, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua, secúndum multitudinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine. [Ps.] Salvum me fac, Deus, quóniam.

5. Deinde diaconus: Flectámus génua. Oratio:

CONCÉDE nobis, Dómine, præsidia milítix Christiánæ sanctis inchoáre ieiúniis, ut contra spiritáles nequítias pugnatúri, continétiæ muniámur auxiliis. Per.

6. Tunc incipiatur a cantore antiphona ista:

Immutémur hábitu in cínere et cilicio, ieiunémus et plorémus ante Dóminum, quia multum miséricors est dimíttre peccáta nostra Deus noster. [Ps.] Deus misereátur nostri.

7. Repetendo antiphonam cum singulis versiculis psalmi supradicti. Interim, dum referatur antiphona prædicta cum psalmo, ponendi sunt cineres a sacerdote in capitibus singulorum, ita dicendo:

Meménto, quia cinis et pulvis es, et in cínere et in púlverem revertéris.

8. His expletis, præsul [et] omnis clerus eat in medio ecclesiæ, crucem portantes, et antiphonam cantantes:

*Iuxta vestibulum et altáre plorábant sacerdótes et levítæ, ministri Dómini, <et> dicétes: Parce, **135**! Dómine, parce pópulo tuo, et ne dissipes ora canéntium ad te, Dómine.*

9. Postea hæc sequatur oratio: Orémus, et diaconus: Flectámus génuæ, Leváte.

DEUS, qui húmili actióne flécteris, et satisfactióne placáris: aurem tuæ pietátis inclína précibus nostris, et capítibus nostris · servorúmque tuórum cínere attáctis, effúnde propítius grátiam tuæ benedictiónis, ut eos et spírítu compunctiónis répleas, ut,¹ quod iuste postuláverint, efficáriter tríbuas, et, concéssa perpétua stabilitáte, manére intácta decérnas. Per.

10. Tunc vocandi sunt omnes pænitentes, qui eiiciendi sunt de ecclesia, et prosternant se in pavimento ecclesiæ, et decantentur septem psalmi pænitentiales sine Glória ab omnibus clericis, et tunc demum dicat pontifex capitulum: Dómine, exáudi, et orationem cum Dóminus vobíscum:

EXÁUDI, Dómine, quæsumus, preces nostras, et confiténtium tibi parce peccátis, ut quos consciéntiæ reátus accúsat, indulgéntia tuæ miseratiónis absólvat. Per.

11. [Alia:]

PRÆVÉNIAT his fámulis tuis, quæsumus, Dómine, misericórdia tua, et omnes iniquitátes eórum céleri² indulgéntia deleántur. Per Dóminum.

12. Alia:

ADÉSTO, Dómine, supplicatióibus nostris, nec sit ab his fámulis tuis · cleméntiæ tuæ longínqua miserátio; sana vúlnera, eorúmque remítte peccáta, ut nullis a te iniquitátibus separáti, tibi, Dómino, semper váleant adhærere. Per.

13. His dictis, surgant pænitentes a terra, præcedantque crucem, et eiiciat eos dominus episcopus de ecclesia, et interim decantet clerus · responsum:

In sudóre vultus tui. [V.] Maledícta terra in ópere tuo.

¹ Malim et

² Corr. m. 1. de scéleri

14. Cum autem eiecti fuerint, stet dominus episcopus in porta ecclesiæ, et ostendat eis, quanti distantia sit inter bonos, qui cum Deo et sanctis eius in Ecclesia manent, et reos, qui pro sua nequitia cum diabolo in æternum supplicium proiiciendi sunt, nisi per pœnitentiam se correxerint. Et ita eos exhortari diligentius studeat · et discrete, ne incidant in desperationem; his actis, revertatur in chorum omnes clerus, et dicatur hoc responsum:

Tribulárer, si nescírem. V. Et Petrum lacrimántem.

15. Capitulum:

Si iniquitátes observáberis.

16. Oratio:

DÓMINE, Deus noster, qui offensióne nostra non vínceris, et satisfactióne placáris: réspice ad hos fámulos tuos, qui se tibi peccásse grávitèr confiténtur. **136'** Tuum¹ absolutiónem críminum dare, et peccántibus véniam præstáre, qui dixísti pœniténtiam te malle peccatórum, quam mortem; concéde ergo, Dómine, ut tibi excúbias pœniténtiæ célebrent, et, corréctis áctibus suis, concédi sibi a te sempitérna gáudia gratuléntur. Per.

17. Deinde dicatur responsum ad processionem:

Paradisi portæ² aperiet. V. Ecce, nunc tempus.

18. Sequitur oratio:

DÓMINE, ne in ira tua nos, quæsumus, árguas, neque in furóre tuo corrípias, sed austeritáti vérberis iunge misericórdiam tuam lenitátis, ut non contritióne pœna, sed eruditiónem nobis cónserat³ disciplína. Per.

19. In redeundo:

[R.] *Emendémus in mélius.*

20. Et sic missa agatur ordine suo: *Miseréris ómnium, Dómine.* Et ita, a sacerdote Orémus pronuntiato, sequatur diaconus: *Flectámus génua, sicque per totam agatur Quadragesimam. In ceteris vero anni diebus sive vigi[li]is, exceptis quattuor temporibus, numquam dicatur.*

¹ *Intellige Suórum vel Tuam*

² *Intellige portas*

³ *Malim cónferat*

ITEM, ORDO IN SECUNDA, QUARTA AC SEXTA FERIA

21. Antiphona:

Exáudi nos, Dómine. [Ps.] Salvum me fac.

22. Sequatur oratio:

PARCE, Dómine, parce pópulo tuo, ut dignis flagellatióibus castigátus, in tua miseratióne respíret. Per. **1371**

23. Deinde incipiat cantor responsum:

Ecce, nunc tempus. [V.] Ece>mendémus in mélius.

24. Et dum pervenerint ad ce[r]tum locum, dicatur oratio:

EXAUDÍTOR ómnium, Deus: exáudi nostrórum flétuum vocem, et tríbue infirmítatibus nostris perpétuam sospitátem, ut, dum dignánte gémitum nostri labóris súscipis, tua nos semper misericórdia consoléris. Per.

25. In redeundo vero sequantur litaníæ.

X. Ordo in die Ramispalmarum, qualiter processio agatur

1. In primis aspergatur aqua benedicta, ut mos est omnibus dominicis diebus, et sequatur oratio:

VÍSITA, quæsumus, Dómine, plebem tuam, et sacris dicáta corda mystériis, pietáte tuére pervígili, ut remédia salútis ætérnae, quæ, te miseránte, suscépit, te protegénte, custódiat. Per Dóminum.

2. Et ita ex[e]untes¹ de choro, pergant ordinatim ad locum destinatum, cantando antiphonam:

Súrgite, sancti, de mansiónibus.

3. Hac decantata, sequantur responsa ad ipsum diem pertinentia, id est:

Conclúsit vias meas.

Insurrexérunt in me.

Dixerunt ímpii.

Contumélias.

Viri ímpii dixerunt.

4. Et sic cantando, veniendum est · ad certum locum, et intrantes, cantant responsum:

Circumdedérunt me.

5. Postea dicatur **1371** hæc oratio ad crucem:

GRÁTIAM tuam, Dómine, méntibus nostris infúnde, ut, qui, ángelo nuntiánte, Christi, Fílii tui incarnatióem cognóvimus, per passióem eius ac crucem · ad

¹ *Add. m. 1.*

resurrectiōnis glóriam perducámur. Per.

6. *Alia:*

ADIUVA, Dómine, fragilitátem plebis tuæ, ut ad votívum magnæ festivitátis officium, intercedénte beáta Dei Genitríce, María, et corporáliter gubernáta recúrrat, et ad perpétuam glóriam devóta mente pervéniat. Per.

7. *[Oratio:]*

DEUS, qui hodiérna die, ad insinuándum humilitátis exémplum, super ásinam sedére · et a turbis rex appellári voluísti: réspice ad devótam pópuli tui humilitátem, ut, quicumque palmis et céteris fróndibus, laudi tuæ dedicáti, in memóriam huius venerándæ sollemnítatis · devótus occúrrerit, tibi, iúdice veniénti cum palma victóriæ · et fructu bonórum óperum¹ secúrus occúrrat. Qui.

8. *Statim sequatur:* Lécio libri Exodi.

VENÉRUNT filii Israel in Helim, ubi erant duódecim fontes aquárum · et septuagínta palmæ, et castrametáti sunt super aquas. Profectique sunt de Helim, et venit omnis multitúdo filiórum Israel in desértum **138**^o Sin, quod est inter Helim et Sínai, quinto décimo die mensis secúndi, postquam egressi sunt de terra Ægýpti. Et murmurávit omnis congregátio filiórum Israel · contra Móysen et Aaron in solitúdine, dixerúntque ad eos filii Israel: Utinam mórtui essémus per manum Dómini in terra Ægýpti, quando sedebámus super ollas cárniū, et comedebámus in saturitáte. Cur induxístis nos in desértum istud, ut occiderétis omnem multitúdinem hanc fame? Dixit autem Dóminus ad Móysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo; egrediátur pópulus, et cólligat, quæ suffíciunt per síngulos dies, ut tentem eum, utrum ámbulet in lege mea, an non. Die autem sexta · parent, quod ínferant, et sit duplum, quam collígere solébant per síngulos dies. Dixerúntque Móyses et Aaron · ad omnes filios Israel: Véspere sciétis, quod [Dóminus] edúxerit vos de terra Ægýpti, et mane vidébitis glóriam Dómini. Audívi enim murmur vestrum · contra Dóminum. Nos vero quid sumus, quia mussitástis contra nos? Dabit vobis Dóminus véspere carnes édere, et mane panes in saturitáte, eo quod audierit murmuratiónes vestras, quibus murmuráti estis contra Dóminum. Nos enim quid **138**^o sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dóminum. Dixítque Móyses ad Aaron: Dic univérsæ congregatióni filiórum Israel: Accédite coram Dómino, audívit enim murmur vestrum. Cumque loquerétur Aaron ad omnem cœtum filiórum Israel, respexérunt ad solitúdinem. Et ecce, glória Dómini apparuit in nube.

9. *Qua perlecta, incipiat cantor:*

Collegérunt pontífices et pharisæi concílium, dicéntes: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum, sic omnes credent in eum; ne forte véniant Románi, et tol-

¹ *Add. m. 1.*

*lant nostrum locum et gentem. V. Unus autem ex ipsis, Caiphas nómine, cum esset pón-
tífex anni illíus, prophetávit, dicens: Expedít vobis, ut unus moriátur homo pro pópulo, et
non tota gens péreat. Ab illo ergo die cog[it]avérunt interfícere eum, dicétes: Ne forte
véniant.*

10. Hac dicta, legendum est evangelium secundum Matthæum:

Cum appropinquásset Iesus.

11. Illo dicto, fiat sermo ad populum de evangelio; finito sermone:

*Ante sex dies sollémnis Paschæ, quia véniét Dóminus in civitátem Ierúsalem, occurrérunt ei
púeri, et in mánibus portábant ramos palmárum, et clamábant voce magna, dicétes: Ho-
sánna in excélsis, benedíctus, qui venísti in multitúdine misericórdiæ, hosánna in excélsis.*

12. Tunc benedicéndi sunt rami palmarum: **139'1**

EXORCÍZO te, creatúra florum et fróndium, in nómine Christi, Fílii Dei. —
Omnis spíritus inimíci, omnisque incúrsio dæmonum: eradícare et explantáre ab
hac creatúra Dei, ut hanc gerétes · et ad tuam¹ grátiam festinántes · non inquietáre,
non illúdere præsumas, interdíco tibi per eum. Qui vivit et regnat.

13. [Oratio:]

BÉNEDIC, Dómine, quæsumus, hos palmárum et olivárum ramos, et præsta, ut
pópulus tuus pia veneratióne hodiérna die corporáliter [hoc aut]² spiritáliter
summa devotióne perficiat, de hoste victóriam reportándo, et opus misericórdiæ
sum[m]ó[pe]re³ diligéndo; humíliter étiam deprecámur, ut prædictárum árborum
gérmina · ita sanctificáre dignéris, ut loca, ad quæ portáta fúerint, sanctificáta effi-
ántur, quo iníquitas omnis seu illúsió dæmonum abscédát, et tua nos semper dèxtera
protégere dignétur. Per.

14. Hic incipiatur antiphona:

*Cum audísset pópulus, quia Iesus venit Hierosólymam, accepérunt ramos palmárum, et
exiérunt ei óbviám, et clamábant púeri, dicétes: Hic est, qui ventúrus est in salútem pó-
puli, hic est salus nostra et redemptio Israel. Quantus est iste, cui throni et dominatiónes
occúrrunt; noli timére, **139'1**⁴ filia Sion, ecce, rex tuus venit, sedens super pullum ásinæ,
sicut scriptum est. Salve, rex, fabricátor mundi, qui venísti redímere.*

¹ Malim eius

² Add. m. 1. in rasura

³ Add. m. 1.

⁴ Add. m. ævi recentioris (hic nihil deest)

15. Sequitur oratio:

DEUS, cuius Fílius pro salúte géneris humáni de cælis descéndit ad terras, et, ap-
propinquánte passiónis suæ hora, †Hierosólymam in ásino veníre, et a turbis
rex appellári, ac laudári vóluit: benedícere dignáre hos palmárum ceterarúm[ve]¹ frón-
dium ramos, ut omnes, qui eos latúri sunt, hic et in futúro cum palma victóriæ et fru-
ctu bonórum óperum váleant apparére. Per.

16. Oratio:

DEUS, qui per olívæ ramum pacem terræ nuntiáre iussísti: præsta, quæsumus, ut
hos ramos palmárum vel aliárum árborum tua cælesti benedictióne sanctífices,
ut cuncto pópulo proficiant ad salútem. Per Dóminum.

17. Oratio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui Dóminum nostrum, Iesum Christum, hodi-
érna die super pullum ásinae sedére fecísti, et populórum turbas vestiménta vel
ramos árborum in via stérnere · et hosánna decantáre in laude **40**² ipsíus docuísti:
da, quæsumus, ut illórum innocéntiam imitari possimus, et eórum méritum cónsequi
mereámur.

18. [Oratio:]

DEUS, qui Fílium tuum Unigénitum pro redemptióne nostra dignátus es dirígere,
ut pópulum tuum, ab inítio in profúndo peccáti dimérsus, a morte revocáres ad
vitam, et chirógrapho leti deléto · sángine Fílii tui, géntibus regnum invocáres; Deus,
qui dispérsa cóngregas, et congregáta consérvas, qui pópulis óbviám Christo ramos
palmárum portántibus benedixísti: benedic étiam hos ramos palmæ et árborum, quas
tui fámuli ad nóminis tui benedictiónem fidéliter suscípunt, ut in quocúmque loco
introdúcti fúerint, benedictiónem tuam consequántur, ut, omni advérsa valetúidine ef-
fugáta, délixtera tua prótegat, quos redémit. Per.

19. [Præfatio:] Dóminus vobíscum. Sursum corda. Grátias agámus Dómino, Deo nostro.

WÆtérne Deus. Mundi cónditor, omniúmque creaturárum mirábilis dis**40**¹-
pósitor, Deus, qui inter ipsa mundi primórdia, cum ex níhilo cuncta cónde-
res, ligna quoque fructífera · et dívérso úsui cóngrua · terram producere iussísti, ac
post maledíctum interdíctæ árboris · unívérsa nobis per obœdiéntiam Unigéniti Fílii
tui in benedictiónem convertísti: benedic étiam hos multigenárum árborum ramos,
inter quas arbor olívæ pinguédinis suavitate præcéllit. De qua étiam, cum mundi crí-
mina dilúvio quondam expiaréntur effúso, colúmba, ramum³ déferens, pacem terris

¹ *Add. m. 1.*

² *Paginas 40^r–42^r scripsit alia m., minus elegans. In summa pagina vestigia videntur m. 4A, sed dimi-
dium lineæ superius decisum, et ideo illegibile est.*

³ *-nis ... ramum minoribus litteris scriptum, et partim in sinistram marginem dilatatum est, forte quia li-*

redditam nuntiavit. Necnon et innocens turba, Spíritu Sancto afflata, Unigénito tuo, Dómino nostro, Iesu Christo, pro totíus mundi salute passúro · óbviam currens, palmárum et huius árboris ramos excídens, ac vestígiis eius substérnens, iam quasi triumphatórem de victo mortis príncipe ostendébat. Te ígitur, Dómine, suppliciter deprecámur, ut, qui ánnua devotióne eiúsdem Redemptóris nostri sacratíssimam passió-nem præveníre nítimur, ipso adiuvánte, palmam victóriæ tenén/41/tes, atque óleo misericórdiæ intrínsecus refulgéntes, in eius sancta resurrectione præmium vitæ et immortalitátis corónam accíperere mereámur. Per.

20. Tunc pontifex accipiat aquam benedictam, et aspergat super ramos palmarum; sequantur antiphonæ:

Fulgéntibus palmis prostérnimur adveniénti Dómino; huic omnes occurrámus cum hymnis et cánticis, glorificántes et laudántes: Benedictus Dóminus.

Occurrunt turbæ cum flóribus et palmis Redemptóri Dómino, et victóri triumphánti digne dant obséquia; Fílium Dei olim gentes prædicant, et in laude Christi voce tonant per núbila: Hosánna.

21. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui Christi, Fílii tui beáta passióne nos réparas: consérva in nobis ópera misericórdiæ tuæ, ut in huius celebritáte mystérii · devotióne perpétua vivámus. Per.

22. Populo cleroque de loco prædicto descendentibus, incipiat cantor antiphonam:

Cum appropinquáret Dóminus Hierosólymam, misit duos ex discíplis suis, dicens: Ite in castéllum, quod contra vos est, et inveniétis pullum ásinae alligátum, super quem nullus hóminum sedit; sólvite et addúcite mihi. Si quis vos interrogáverit, dícite: Opus Dómini est. Solvéntes, adduxérunt ad Iesum, et imposuérunt sibi vestiménta, et sedit super eum. Alii expandébant vestiménta sua 141' in via, álíi ramos de árbóribus exsternébant, et qui sequebántur, clamábant: Hosánna, benedíctus, qui venit in nómine Dómini, benedíctum regnum patris nostri, David, hosánna in excélsis, miserére nobis, fili David.

23. Post antiphonam versus cantatur:

*Glória, laus et honor tibi sit, rex Christe, Redemptor,
cui pueríle decus prompsit hosánna píum.*

*Israel es tu rex, Davidis et ínclýta proles,
nómine qui in Dómini, rex benedícte, venit.¹*

*Cætus in excélsis te laudat cælitus omnis,
et mortális homo et cuncta creáta simul.*

nea quædam negligenter omissa erat, et, una erasa, loco eius duæ sunt suppleta.

¹ Malim venis

*Plebs Hebræa tibi cum palmis óbvia venit,
cum prece, voto, hymnis ádsumus, ecce, tibi.*

*Hi<c> tibi passúro<s> solvébant múnia laudis,
nos tibi regnánti pángimus, ecce, melos.*

*Hi<c> placuére tibi, pláceat devótio nostra,
rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.*

24. Postea, pueris exeuntibus de civitate, et portantibus ramos palmarum in manibus, prostratis in terra, incipiat cantor antiphonam:

Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via, et clamábant, dicéntes: Hosánna Fílio David, benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

25. Tunc dominus episcopus prosternat se ante crucem, et dicat hanc antiphonam:

Scriptum est enim: Percútiám pastórem, et dispergéntur oves gregis. Postquam autem surréxero, præcédam vos in Galilæam, ibi me vidébitis, dicit Dóminus.

26. Surgente episcopo, incipiatur:

Hosánna filio David, benedíctus, qui venit in nómine Dómini, rex Israel, hosánna in excélsis.

27. Intransibus autem civitatem, incipiatur responsum: **142'**

R. *Ingrediénte Dómino.*

28. Et, sic cantantes, perveniant ad portam ecclesiæ, et dicatur hæc oratio ab episcopo ante ianuam ecclesiæ:

VIA sanctórum ómnium, Dómine, Iesu Christe, qui ad te veniéntibus claritátis gáudia contulísti: intróitum templi istíus Spíritus Sancti luce perfúnde, qui locum istum sancto nómini tuo consecrásti; præsta, omnípotens Deus, ut omnes isti, in te credéntes, obtíneant véniam pro delíctis, ab ómnibus liberéntur angústiiis, ímpetrent, quicquid petérint pro necessitatibus suis, placére semper præváleant coram óculis tuis, quátenus, per te et sanctam Mariám muneráti, aulam paradísi introíre gaudéntes mereántur. Per te, Salvátor mundi, qui in Trinitáte.

29. Intrante clero ecclesiam, incipiat cantor:

[Ant.] *Turba multa. Sequatur psalmus: Benedíctus sine Glória.*

30. Deinde celebranda est missa cum omni diligentia.

XI. Ordo de Cena Domini in nocte

1. In vigilia Cenæ Domini temporale¹ ligneum sonetur signum, collectis omnibus in ecclesia, nec dicatur: Deus, in adiutórium meum, nec: *Veníte, sed tantum: Zelus domus.* Ad psalmum non dicatur: Glória. Versus dicatur pleniter, non subtrahendo finem.² Lectiones legantur de Lamentationibus Ieremiæ prophetæ, ab eo loco, ubi ait: Quómodo sedet sola civitas, et tres de tractatu sancti Augustini de psalmo quinquagesimo **142^o** quarto:³ Exáudi, Deus, oratiónem meam, cum déprecor. Tres de Apostolo, ubi a[i]t ad Corinthios: Conveniéntibus vobis in unum; lector benedictionem non petat, nec finem solitum faciat, sed ipsa lectione finem terminet, luminaria vero ad singulos psalmos exstinguantur; similiter ad matutinum † ynum † non dicatur: Deus, in adiutórium, sed antiphona matutinalis tantum, et singulis psalmis, ut supra, exstinguantur candelæ. Ante *Benedictus* non dicatur capitulum, sed versus *Christus factus est*; finito psalmo *Benedictus* cum antiphona, dicant pueri alta voce: *Kýrie, eléison. Christe eléison. Kýrie, eléison.* Respondeant alii: *Dómine, miserére nobis.* Duo autem dicant hos versus: *Iesu Christe.* Chorus respondeant: *Christus Dóminus factus est*; finitis his, a clero et populo · fiat processio. Redeuntes autem in choro, prosternat se unusquisque in terram, et sub silentio dicat: Pater noster, et orationem: Réspice, Dómine, quæsumus. Et, facto signo a priore, omnes pariter surgant. Sicque finiatur matutinum. Ad primam non dicatur Deus, in adiutórium, sed tantum psalmi sine Glória: *Deus, in nómine tuo. Beáti immaculáti. Retribue servo tuo. Laudáte Dóminum, omnes gentes.* Sub silentio autem, prosternens se unusquisque in ter**143^o**ram, dicat: Pater noster, et orationem: Réspice, quæsumus, Dómine. Similiter eodem die tertia, sexta et nona · fiat.

¹ Malim *temporarie*

² *Add. m. originalis in margine. Locus sententiae in textu principali cum abbreviatione h' (hic) indicatur.*

³ *Initium vero sequens pertinet ad Ps 63*

ORDO AD DANDAM PÆNITENTIAM

2. Cum venerit pænitens quis a[d] sacerdotem capitali fœdatus scelere, prosternat se in terram, et imponat sacerdos septem psalmos pænitentiales, id est:

Dómine, ne in furóre.

Beáti, quorum.

Dómine, ne in furóre.

Miserére mei, Deus.

Dómine, exáudi oratiónem.

De profúndis.

Dómine, exáudi.

3. Et preces:

Convértere, Dómine, et éripe ánimam.

Delícta iuventútis.

Delíctum meum cógnitum.

Dómine, ante omne desidérium.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me.
Dómine, miserére mei.
Miserére mei, Deus, miserére mei.
Dómine, avérte fáciem tuam a peccátiis meis.
Ne memíneris iniquitátum nostrárum.
Adiuva nos, Deus salutáris noster.
Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi.
Dómine, tu scis insipiéntiam meam.
Ne avértas fáciem tuam a me.
Libera me a persecúentibus me.
Dómine, exáudi oratióem meam.

4. Oratio:

EXÁUDI, Dómine, preces nostras, et confiténtium tibi parce peccátiis, ut, quos consciéntiæ reátus accúsat, indulgéntia tuæ miseratiónis absólvat. Per Dóminum.

5. Alia:

DA, quæsumus, Dómine, huic fámulo tuo contínuam purgatiónis suæ observántiam gérere pæniténdo, et, ut hoc effícaciter implére váleat, grátia eum tuæ prævéniat visitatiónis, et sequátur. Per. /43/

6. [Alia:]

DÓMINE, Deus, noster, qui peccátiis nostris offéndetis, satisfactiÓne placáris: réspice, quæsumus, ad hunc fámulum tuum, **N.**, qui se tibi grávitè peccásse confitétur; tuum est enim absolutiÓnem críminum dare, et véniam præstáre peccántibus, qui dixísti te malle peccatórum vitam, quam mortem; concéde, Dómine,¹ hoc, ut fámulus tuus pæniténtiæ tibi excúbias célebret, et, corréctis áctibus suis, conférri sibi a te sempitérna gáudia gratulétur. Per.

7. Tunc mittend[us est ci]nis² super caput pænitentis, et dicendum:

Meménto, homo, quia pulvis es, et in púlverem revertéris.

8. Oratio:

ADSIT, quæsumus, Dómine, huic fámulo tuo, **illi** inspirátio grátia salutáris, quæ cor eius flétuum ubertáte resólvat, sicque macerándo conficiat, ut iracúndiæ tuæ motus · idónea satisfactiÓne compéscat. Per Dóminum.

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1.*

9. Post hæc eiiciendus est ab ecclesia, et tali modo increpandus:

Ecce, eiic[í]eris¹ hódie a sinu sanctæ Ecclésiæ, matris tuæ propter peccátum tuum, sicut Adam, primus homo · eiéctus est · a paradíso propter transgressiónem suam.

10. Sequitur responsum:

In sudóre vultus tui. [V.] Pro eo, quod.

11. Oratio:

PRECOR, Dómine, cleméntiæ tuæ et misericórdiæ maiestátem, ut fámulo tuo, **illi**, peccáta confiténti relaxáre **144'** débita et véniam præstáre dignéris, et præteritórum críminum culpís indúlgeas, qui húmeris tuis ovem pérditam reduxísti; tu étiam huic fámulo placáre, tu huius précibus benígnus aspíra, ut in confessióne placábili permáneat, fletus étiam et petítio eius perpétuam cleméntiam tuam celériter exóret, sanctísque altáribus et sacráriis restitútus, spei rursum ætérnæ ac cælésti glóriæ mancipétur. Per.

12. Deinde indicet ei sacerdos abstinentiam · sive observantiam, perpendens subtiliter personam et² modum culpæ, intentionem animæ, et corporis valetudinem, vel imbecillitatem.

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1.*

ORDO IN CENA DOMINI

[RECONCILIATIO PÆNITENTIUM]³

13. Hora tertia induatur dominus episcopus vestimentis sollempnibus. Et, dum induitur, cantentur psalmi sine Glória:

Quam dilécta.

Benedixísti.

Inclína.

Crédidi, propter.

Meménto.

Ecce, quam bonum.

Ecce nunc, benedicite.

14. Concludanturque versiculo: Christus factus est pro nobis. Et sint secum induti dalmati[ci]⁴ septem diaconi: horum unus, scilicet archidiaconus nudis pedibus cum pænitentibus stet, alba solummodo indutus, totidemque subdiaconi subtilibus ornati. Acolythy vero duo, albis tantum candidati, duodecim autem presbyteri, ut in tempore missarum ornati, assistant. Sicque, ministris stantibus, sedente episco-

³ PZ 55^r

⁴ *Add. m. 1.*

po præ foribus ecclesiæ, pænitentibus **144'** in atrio ecclesiæ eminus cum archidiacono iussum episcopi præstolantibus, pontifex dicat antiphonam:

Venite, venite, filii, audite me, timórem Dómini docébo vos.

15. Tunc archidiaconus ex parte pænitentium dicat: Flectámus génuā. Tunc omnes pænitentes, qui astiterunt, genuflectent. Quo facto, dicat diaconus: Leváte. Similiter agatur secundo et tertio: repe[te]nte¹ episcopo antiphonam *Venite*, prosequatur diaconus: Flectámus genua. Moxque cum archidiacono corruant ad pedes domini, sicque prostrati, iaceant, quousque dominus episcopus annuerit alteri diacono: Leváte. Illis vero accedentibus, prosequatur a clero antiphona: *Venite* cum psalmo, semper eandem repetendo antiphonam. Postea archidiaconus dicat:

ADEST, o, venerábilis pón.tifex, tempus accéptum, dies propitiatiónis divínæ et salutis humanæ, qua mors intéritum, et vita accépit æténa princípium, quando in vinea Dómini Sábaoth sic novórum plantátio faciéndā est, ut purgétur exsecrátió vetustátis. Quamvis enim a divítiis bonitátis et pietátis Dei nihil témporis vacet, nunc tamen et largior est per indulgéntiam remíssió peccatórum, et copiórior per grátiam assúptio renascéntium. Augé/45'/mur renascéndis,² créscimus revérsis, lavant aquæ, lavant lácrimæ, inde est³ gáudium de assumptiÓne vocatórum, hinc lætítia de absolutiÓne pæniténtium. Inde est, quod súpplices tui póstea, quam in várias formas críminum negléctu mandatórum cæléstium et morum probabílium transgressiÓne ceciderunt, humiliáti atque prostráti prophética ad Deum voce clamant, dicéntes: Peccávimus, ímpie égimus, iniquitátem fécimus, miserére nostri, Dómine. Evangélicam vocem non frustratória aure capiéntes: Beáti, qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Manducavérunt, sicut scriptum est, panem dolóris, lácrimis stratum rigavérunt, cor suum luctu, corpus afflixérunt ieiúniis, ut animárum recíperent, quam perdíderant, sanitátem. Unicum itaque est pæniténtiæ suffrágium, quod síngulis prodest, et ómnibus in commúne succúrrit.

16. Mox surgat episcopus, et cantet hos psalmos:

Miserére mei.

Deus, in nómine tuo.

Miserére mei, Deus.

Deus misereátur nostri.

Deus in adiutórium.

17. His finitis, sequitur dominica oratio cum precibus:

Avérte fáciem tuam a peccátis meis.

Redde mihi lætítiam.

Dómine, exáudi oratiÓnem.

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1. superius* vel regenerándis

³ *Add. m. 1.*

18. [Oratio:]

ADËSTO, Dómine, supplicatióibus nostris, et me, qui étiam misericórdiam tuam primus indígeo, cleménte exáudias, **146'** quem nec electiõe mériti, sed dono grátia tuæ constituísti óperis huius minístrum; da fidúciam tui múneris exsequéndi, et ipse in nostro ministério, quod tuæ pietátis est, operáre. Per.

19. Oratio:

DEUS, qui humáni géneris benigníssimus es cónditor, et misericordíssimus formátor, qui in reconciliatiõe étiam me, qui misericórdia tuæ primus indígeo, servíre efféctibus grátia tuæ per sacerdotále ministérium voluísti, ut, incessánte mérito súpplicis, mirabílior fieret indulgéntia remitténtis; Deus, qui iustítia leges misericórdia semper multiplicatiõe moderáris, dum delinquéntibus pæniténtiam ádhibes, dum étiam malis providéntia tuæ dona non súbtrahis, et vindíctam miserándo suspéndis; Deus, qui hóminem, invidia diaboli ab æternitate deiéctum, únici tui Filii sán-guine redemísti: vivífica, quos mori non vis, et, quos non dereliquísti devios, assúme corréctos. Móveat pietátem tuam fletus *κυστόrum*,¹ mærentiúmque medére vulneribus, benígnam iacéntibus manum pórrige, ne Ecclésia tua suæ corruptiõnis portiõe priváta temerétur, ne grex tuus detriméntum sustíneat, ne de familiæ **146'** tuæ damno inimicus exsúltet, ne enátas lavácris salutáribus ánimas · mors secúnda possídeat. Tibi ergo humiliámur omnes, tibi súpplices fúndimus preces, tibi fletum cordis nostri of-férimus, tu pa[r]ce² confiténtibus, ut imminétes pœnas · futuríque iudícii sentéti-am, te miseránte, non íncidant; nésciant, quod terret in ténebris, quod stridet in flammis, et, ab errórum via ad iter iustítia iam revérsi, ultra nequáquam novis vulneribus sauciéntur. Propitiáre ergo, Dómine, treméntibus atque supplícibus sub sentétiæ tuæ exspectatiõe, et, ad humilitátem iacéntium sublevándam, salutis dexteram ex-ténde. Nobis, servis tuis, quos apostólicæ clavis sacerdotálisque minístris officii · non electiõe mériti, sed dono grátia tuæ constituísti, da fidúciam tanti múneris exsequéndi, et ipse in nostro ministério, quod tuæ pietátis est, operáre. Agnósce, píssime pastor, oves tuæ redemptiõnis, et constrictas vínculis peccatórum, Ecclésia tuæ préci-bus exorátus, absólve, ut rédeant ad unitátem Ecclésia tuæ, et, post illam díram ínopis exsílíi famem redeúntes, veste spléndida **146'** ornátæ, gáudeant se patérno recéptas convívio. Nihil de honóre adoptiõnis, nihil hereditátis amíttant, sed íntegrum sit eis atque perpétuum · et quod³ grátia tua cóntulit, et quod misericórdia reformávit. Per eúndem.⁴

¹ *Orig. del.*² *Add. m. 1.*³ *Add. m. 1. in margine, radendo verbum quoddam inter et et grátia*⁴ *Add. m. 1.*

20. Oratio:

PRÆSTA, quæsumus, Dómine, his fámulis tuis · dignum pæniténtiæ fructum, ut Ecclésiæ tuæ sanctæ, a cuius integritate deviárant peccándo, admissórum véniam consequéndo, reddántur innóxi. Per.

21. Postea surgant pænitentes, et legat archidiaconus:

RE[D]ÍNTEGRA in eis, apostólice pónטיפex, quicquid, diabolo scindénte,¹ corrúptum est, et, oratiónum tuárum patrocínantibus méritis, per divínæ reconciliatiónis grátiam · fac hómines próximos Deo, ut, qui ántea in suis perversitatibus displicébant, nunc iam se placére Dómino in regióne vivórum, devícto mortis suæ auctóre, gratuléntur. Per.

22. Et moveantur² ab episcopo pænitentes, ut, quod pænitando diluerunt, iterando non renovent, et sic imponat dominus episcopus antiphonam:

Veníte, veníte.

Et finitis eiusdem psalmi versibus, semper sequatur:

In Dómino laudábitur. Magnificáte Dóminum. Exquisívi Dóminum. Accédite ad Deum. Iste pauper clamávit. Immíttit ángelum Dóminus. Gustáte et vidéte. Dívites eguérunt. 1471 Veníte, filii.

23. Interim pænitentes manuátim ab archidiacono reddantur episcopo, et episcopus reddat diacono, qui ex parte eius est, et ordinatim congregentur, sicque restituentur gremio ecclesiæ. Deinde incipiat episcopus prædicare contra ieiunos:

AUDIVÍSTIS, fratres caríssimi, quáliter primus homo, Adam scílicet, propter transgressiónem præceptórum Dei · et propter peccátum, quod, suadénte diabolo, perpetrávit, a paradíso sit eiéctus, et quáliter per humilitátem Christi et per ieiúnium ipsíus ac passióne[m] resurrectionémque sit a suo peccáto redéemptus. Pro simílíque causa, qua ille, de sede paradísi pulsus, ad ima inférni deiéctus est, vos a sinu sanctæ matris Ecclésiæ eiécti fuístis. Nunc, fratres mei, vos diligénte[m] admóneo, ne vos ad simília peccáta, pro quibus a sinu sanctæ Ecclésiæ proiécti fuístis, vélitis recurrere, et bonum, quod pæniténdo gessístis, pio ánimo custodiátis. De Dei misericórdia non desperétis, quia ipse peccántes omnes ad se reverténte[m], pæniténtiam pro delíctis volénte[m] ágere, cleménte[m] ac misericórdite[m] súscipit, nam ipse ait: Nolo mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat. Et álibi: Revertímini **1471** ad me, et ego revérta[m] ad vos. Légitur étiam, fratres mei, in libro Regum · de David rege et prophéta, ab Uría, mílite suo uxórem própriam abstulísse, atque ipsum Uríam, missum ad Ioab, príncipem sui exércitus, intérfici iussí[sse].³ Quod factum Deum latére non pótuit, nam ipse

¹ *Malim* suadénte

² *Intellige* moneantur

³ *Add. m. 1.*

non solúmmodo facta, sed etiam hóminum cogitatiónes frequénte r inspicit. Dénique Nathan prophéta per prophéticum spíritum demonstrávit, ipsum David tale crimen perpetrásse. Ipsum vero Nathan iussit ad eum causa agéndi pæniténtiam procédere. Qui cum ad eum pervenísset, quasi iudícium ab eo inquírens, prædíctum peccátum sibi demonstrávit, et Dei amicitiam, nisi eum¹ pænitéret, omníno perdidísse. Quæsívít enim ab eo, quid de illo hómine faciéndum esset, qui, cum habéret centum oves, ómnibus illis dimíssis, páuperi non habénti, nisi tantum modo unam, illam sibi rápuit. Quod cum audivísset rex, illum prótinus, qui tália fecit, morte moritúrum iudicávit. Nathan vero statim indicávit ei, seípsum sua senténtia iudicávisse. Et, nisi pæniténtiam ágeret, se suo iudício peritúrum. Ille vero, ag/**48'**/nóscens se peccásse, pæniténtiam ágere festinávit. Accépta vero et pacta pæniténtia, Deus ei crimen, quod fécerat, licet grande, condonávit; símili modo vobis, si veram pæniténtiam peregístis, sine dúbio condonábit.

24. Deinde incipiat episcopus antiphonam:²

Cor mundum crea in me, Deus, cum psalmo Miserere mei, Deus.

25. Quo finito, prosternat se pontifex una cum pænitentibus in oratorio, clero faciente litaniam. Qua expleta, dicat: *Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. Pater noster.* Preces:

Salvos fac servos tuos.

Convértere, Dómine, úsquequo.

Mitte eis, Dómine, auxiliúm de sancto.

Illústra fáciem tuam super servos tuos.

Dómine, vide humilitátem eórum.

Dómine, exáudi oratiónem.

26. Oratio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: confiténtibus tibi fámulis tuis · pro tua pietáte peccáta reláxa, ut non plus eis nóceat consciéntiæ reátus ad pœnam, quam indulgéntia tuæ pietátis ad véniam. Per.

27. Oratio:

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui peccatórum indulgéntiam in confessióne céleri posuísti: succúrre lapsis, miserére conféssis, ut, quos delictórum caténa constringit, magnitúdo tuæ pietátis absólvat. Per.

28. Oratio:

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne **/48'** Deus: réspice propítius super hos fámulos tuos, qui, ab infésta sæculi tempestáte emérsi, flébili lamentatióne

¹ *Malim econverso eum, nisi. Littera e est confirmata a m. 1.*

² *Rubricam totam m. 1. inseruit.*

suos accúsant excéssus, ut fletus ac gémitus eórum pie suscípias, eósque de ténebris ad lumen révoques, et medélam confiténtibus, salútem pæniténtibus, et vulnerátis auxili-um sanitátis indúlgeas; ne ultra inimícus eórum hábeat potestátem ánimæ, eorúmque confessiónem libénter admíttens, Ecclésiæ tuæ purificátos restítue, ac tuo altári repræ-sénta, ut, ad sacraméntum reconciliatiónis admíssi, una nobíscum · nómini tuo san-cto · grátias ágere mereántur. Per.

29. *Alia:*

DEUS miséricors, Deus clemens, qui multitudinem indulgentiarum · nulla témpo-rum lege conclúdis, sed pulsántibus misericórdiæ tuæ iánuam áperis, pæniténtes étiam sub ipso vitæ huius término non repéllis: réspice propítius super hos fámulos tuos, remissionem ómnium peccatórum tota cordis confessióne poscéntes. Rénova in eis, Pater piíssime, quod actióne, quod verbo, quod ipsa déniq̄ue cogitatióne · diabó-lica fraude vitiátum est, et unitáti córporis Ecclésiæ membra **/49'** tuæ redemptiόνis annécte. Miserére gemítuum, miserére lacrimárum, et non habéntes fidúciam, nisi in misericórdia tua, ad sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per.

30. *[Alia:]*

EXÁUDI preces nostras, Dómine, et¹ tibi confiténtium parce peccátis, ut, quos con-sciéntiæ accúsat reátus, indulgéntia tuæ miseratiónis absólvat. Per.

31. *[Alia:]*

PRÆVÉNIAT hos fámulos tuos, quæsumus, Dómine, misericórdia tua, ut omnes in-iquitátes eórum céleri indulgéntia deleántur. Per.

32. *Oratio:*

ADÉSTO, Dómine, supplicatióibus nostris, nec sit ab his fámulis tuis clemétiæ tuæ longínqua miserátio; sana vúlnera, eorúmque remítte peccáta, ut, nullis a te iniquitátibus separáti, tibi, Dómino semper váleant adhærere. Per.

33. *[Alia:]*

Dómine, Deus noster, qui offensióne.

34. *[Alia:]*

PRECOR, Dómine, clemétiæ tuæ maiestátis ac nóminis, ut his fámulis tuis, pec-cáta sua² ac facínora confiténtibus, véniam dare · et præteritórum críminum débita relaxáre dignéris, qui húmeris Fílii tui ovem pérditam reduxisti ad caulas, qui publicáni précibus vel confessióne placátus **/49'** es; tu étiam, Dómine, et his fámulis tuis placá-re, tu eórum précibus benígnus assístes, ut, in te confessióne flébili permanétes, cle-

¹ *Add. m. 1. superius*

² *Add. m. 1.*

méntiam tuam celériter exórent, et, sanctis altáribus restitúti, spei rursus ætérnæ · et cælésti glóriæ reforméntur. Per eúndem.¹

35. [Alia:]

EXÁUDI, quæsumus, omnípotens Deus, preces nostras, quas in conspéctu maiestá-tis tuæ effúndere præsumimus, suppliciter deprecánte, ut fámulos tuos in tua misericórdia confidéntes² benedícas, et ómnia eórum peccáta dimíttas, tuáque eos protectióne consérves, ut possint tibi digni fieri, et ad ætérnam beatitúdinem váleant perveníre. Per.

36. [Alia:]

ADÉSTO, Dómine, supplicatióibus nostris, et hanc fámulórum tuórum confessió-nem benígnus assúme, ut, qui auxiliúm tuæ miseratiónis implórant, et sanctifica-tiónis grátiam percípiant, et, quæ pie precántur, obtíneant. Per.

37. [Alia:]

DEUS miséricors, Deus clemens, qui secúndum multitudinem miseratiónum tuá-rum peccáta pæniténtium deles, et præteritórum delictórum culpas vénia remis-siónis evácuas: maiestátem tuam súpplíces deprecámur, ut his fámulis tuis, lon/50/go squalóre pæniténtiæ macerátis, miseratiónis véniam largíri dignéris, ut, nuptiáli veste recépta, ad regálem mensam, unde eiécti fúerant, mereántur introíre. Per Dóminum.

38. [Alia:]

MAIESTÁTEM tuam quæsumus, Dómine, sancte Pater, ætérne Deus, qui non mor-tem peccatórum, sed vitam semper inquíris: réspice flentes fámulos tuos, attén-de prostrátos, eorúmque planctum in gáudium tua miseratióne convérte. Per.

39. [Alia:]

FÁMULOS tuos, quæsumus, omnípotens Deus, ab ira tua ad te confugiénte, patér-na récipe pietáte, ut, qui tuæ maiestátis flagélla formídant, de tua mereántur vé-nia gratulári.³ Per.

40. [Alia:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: confiténtibus tibi his fámulis tuis · pro tua pie-táte peccáta reláxa, ut non plus eis consciéntiæ reátus ad pœnam nóceat, quam indulgéntia tuæ pietátis prosit ad véniam. Per Dóminum nostrum.

¹ *Add. m. 1. in margine interno*

² *Corr. m. 1. de confiténtes*

³ *Corr. m. 1. de grátulam*

41. [Alia:]

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui peccatorum indulgéntiam in confessióne céleri posuísti: succúrre lapsis, et fámulos tuos, quos delictórum caténa constrín- git, magnitúdo tuæ pietátis absólvat. Per.

42. Tunc elevent se pænitentes a terra, /50'/ et osculetur eos episcopus singulos.

ORDO IN DIE CENÆ DOMINI [MISSA CHRISMATIS]

43. Feria quinta Maioris Hebdomadæ, in Cena scilicet Domini · mane primo mansionarii ordinent omnia, quæ sunt necessaria ad consecrationem chrismatis: ampullas tres de oleo mundissimo [p]lenas ·¹ ponentes in sacrario, unam ad oleum pro² infirmis, alteram ad chrisma, tertiam vero ad oleum propter catechumenos unguendos. Maximam illam, quæ ad chrisma debet fieri, de albo serico, alias autem de alio serico esse oportet coopertas. Et pontifex prævideat de balsamo; hora vero tertia sonetur signum, ut omnes veniant in ecclesiam, in qua³ chrisma debet consecrari. Ipso die sonetur campana ad missam et ad ceteras horas, sicut mos est diebus sollemnibus, et sic sileant usque in Sabbato Sancto. Presbyteri vero, et ceteri clerici, induant se vestimentis sollemnibus, et diaconi dalmaticis, atque subdiaconi albis sericis, et stent in ordine suo singuli in ecclesia, exspectantes, usquedum dominus pontifex veniat · cum processione plenaria ad missam, sicut diebus sollemnibus solet, cum septem diaco/51'/nibus et totidem subdiaconibus et ceroferiis, et duobus tuóribus ·⁴ cum incenso. Cantor autem et schola, statim ut iussum fuerit, imponant introitum ad missam cum psalmo, et Glória, et Kýrie, eléison cum laude Christi.⁵ Tunc dicat pontifex: Glória in excélsis Deo. Et sonentur campanæ. Quo finito, dicat orationem · pleniter, sicut aliis diebus. Tunc legatur epistola Pauli · ad Corinthios, deinde sequatur gradus, et evangelium secundum Ioannem. Ante evangelium portentur candelæ · et incensum, sicut mos est. Perlecto evangelio, dicat pontifex: Dóminus vobíscum, et: Orémus. Deinde offertorium, offerentibus presbyteris, et ceteris, qui voluerint. Tunc dicatur secreta, et præfatio, atque Te ígitur, usque ad eum locum, ubi dicitur: Intra quorum nos consórtium non æstimátor mériti, sed véniæ, quæsumus, admítte largítor. Per Dóminum. Tunc offeratur pontifici oleum ad unguendos tam infirmos, quam energuminos, et benedicat illud tam ipse, quam omnes presbyteri, qui aderunt.

44. Hæc se[n]tentia profertur, d[e]⁶ auctoritate apostolica: /51'/

DE óleo, quo unguúntur infírmi. Auctoritátem habémus apostólicam, dicénte beáto Iacóbo apóstolo: I[n]firmátur⁷ quis in nobis,⁸ indúcat presbýteros Ecclésiæ, et orent super eum, unguéntes eum óleo in nómine Dómini, et, si in peccátis sit, dimitúntur ei. Unde patet, ab ipsis apóstolis · hunc morem sanctæ Ecclésiæ esse tráditum,

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1. in rasura*

³ *Corr. m. 1. de quo*

⁴ *Orig. del.*

⁵ *Rasura*

⁶ *Add. m. 1.*

⁷ *Add. m. 1.*

⁸ *Malim vobis*

ut energúmini · vel álii quílibet ægróti ungántur óleo · pontificáli benedictióne consecráto. Consecrátur enim in ipso officio consecratiónis córporis et sánguinis Dómini, non enim habet próprium officium, id est: non in cápite verba salutatiónis, hoc est: « Dóminus vobíscum », nec: « Orémus », nec in fine conclúditur, ut céteræ oratiónes: « Per Dóminum nostrum, Iesum Christum », sed tantum: « In nómine Dómini nostri, Iesu Christi. » In eo vero loco, ubi solémus uvas benedícere, consecrétur óleum pro infirmis, conclúditúrque conclusióne: « Per quem hæc ómnia semper, Dómine, bona creas. » Unde intelligimus embolísmum esse supradícti officii. De eódem óleo sic continétur in sacramentário: Antequam dicátur: « Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas », **152'** levéntur de ampúllis, quas ófferunt pópuli, et¹ benedícat tam domnus papa, quam omnes presbýteri. Mos est Románæ ecclésiæ, ut in córporis et sánguinis Dómini confectióne² assint presbýteri, et simul cum pontífice verbis · et mánibus conficiant. Opórtet, ut símili modo simul cum pontífice óleum presbýteri conficiant.

Exorcismus olei pro infirmis et populo³

45. **Antequam dicatur:** Per quem hæc ómnia, Dómine, bona creas, **exorcizetur oleum, ut possit tantum a circumstantibus audiri:**

EXORCÍZO te, immundíssime spíritus, omnísque incúrsio Sátanæ, et omne phantásmas · in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti,⁴ ut recédas ab hoc óleo, ut possit éffici úntio spiritalis, ad corroborándum templum Dei, ut in eo possit Spíritus Sanctus habitáre, per nomen Dei Patris omnipoténtis · et per nomen dilectíssimi Fílii eius, Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus est.

46. [Oratio:]

EMÍTTE, Dómine, Spíritum tuum Sanctum Paráclitum de cælis in hanc pinguédinem olívæ, quam de víridi ligno producere dignátus es ad refectiόνem mentis et córporis, ut tua sancta benedictióne **152'** sit omni unguéntum tangénti tutaméntum mentis et córporis, ad evacuándos omnes dolóres, omnésque infirmitátes, omnémque ægritudínem mentis et córporis. Unde unxísti sacerdótes, reges, prophéatas, et mártýres. Chrisma tuum, Dómine, perféctum nobis a te benedíctum sit pérmanens in viscéribus nostris. In nómine Dómini nostri.

¹ *Add. m. 1. superius*

² *Corr. m. 1. de consecratióne*

³ *Rubricam totam m. 1. inseruit.*

⁴ *Cum crucibus posterius suprapositis*

**ITEM, EXORCISMUS EIUSDEM VEL BENEDICTIO EIUSDEM OLEI
AD OMNEM LANGUOREM PELLENDUM, QUOCUMQUE TEMPORE**

47. [Exorcismus:]

IN tuo nómine, Deus omnípotens, Pater Iesu Christi, Fílii tui, Dómini nostri, signo et virtúte Spíritus Sancti hanc creatúram ólei exorcizámus, simúlque sanctificámus, quia ita benígus Dóminus per discípulos suos declaráre dignátus est, dicens: Si quis infirmátur in vobis, indúcat presbýteros, ut orent super eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini, et orátio fidei salvábit infirmum, et, si in peccátis sit, dimitténtur ei. Cum tu per ipsum ómnia possibília esse credéntibus docuísti, et, ut cunctum sæculum eius claritáte salváres, sic per eúndem locútus es, dicens: Petíte, et dábitur vobis, quærite, et **153'** inveniétis, pulsáte, et aperiétur vobis. Quaprópter, Dómine, tua ineffábili bonitáte compérta, submíssis précibus, credéntes nullum álium dóminum, nisi te, Dómine, qui dives es in misericórdia, celeritérque súbvenis, peritíssimum médicum implorámus, ut, apértis cælis, Spíritus Sancti velocitáte dedúcta, virtútis tuæ medicínam in hoc óleum propítius infúndas. Descéndat super óleum istud poténtiæ tuæ donum, et descéndat cláritas et orígo virtútum, descéndat benígnitas et púritas sanitátis.

48. [Exorcismus:]

EXORCIZÉTUR Crucis Christi vexílló, benedicátur dextra maiestátis tuæ, et corroborétur Fílii tui, Dómini nostri signáculo. Præsto sint, Dómine, ángeli, et archángeli, et omnis milítia cæléstis. Assit apostolorum, ac mártirum, et fidélium sacerdotum, vel étiam aliórum servórum digníssima orátio, sub quorum præsentia dum in tuo nómine, Dómine, sancte Pater imménse, hoc unguéntum · compositiónis atque permixtiónis · dedérimus, liniéndis corpóribus infirmis, contínuo peragrátis eórum viscéribus, omnem violéntiam évomant fellis. Prosit étiam febricitántibus et dissintéria laborántibus, **153'** prosit paralytícis, cæcis, et claudis, simúlque vexáticis. Quartána, tertiána, et cottidiána excútiat frígora, mutórum ora resólvat, aréntia membra reficiat, deméntia[m]¹ mentis ad sciéntiam révocet, dolórem cápitis, oculórum infirmitátem, manuum, pedum, brachiórum, péctoris, simúlque intestinórum, atque ómnium membrórum · tam intrínsecus, quam extrínsecus, medullarúmque dolórem expéllat, somnum quiétis infúndat, et cónferat salútem sanitátis. Si qua vero maligna, vel venenósa nascéntia in corpóribus quorumcúmque sint génerum,² tactus huius unguénti omnes³ radícitus eórum arefáciat sauciónes. Morsus vero bestiárum, canum rábiem, scorpíonum, serpéntium, viperárum, atque ómnium monstruosórum léniat dolóres,

¹ *Add. m. 1.*

² *Corr. m. 1. de fúerint generáta, radendo fúerint et -áta*

³ *Corr. m. 1., radens finem verbi et syllabam -es in rasura inserens*

et, superinducta sanitate, plagarum sopiat cicatrices. Impetum quoque daemonum, vel incursiones spirituum immundorum, atque leogionum¹ malignarum vexationes, umbras, et impugnationes, et infestationes malignarum, artes quoque maleficorum C[h]aldæorum,² auguriorum, **154'** et divinorum incantationes, et venena promiscua, quæ spirituum immundorum³ virtute nefanda · et exercitio diabólico conficiuntur. Iubeas, Domine, per hanc invocationem tuam · ab imis visceribus eorum omnia expelli,⁴ ut exiens inimicus de corporibus famul[or]um famularumque tuarum omnium, confusus et excruciat, in eis nullam maculam relinquens, a tuis sanctis angelis constringatur, et in inferno, sicut eum expectat digna sententia, Gehennæ ignibus mancipetur, nec ultra habeat ad eos ingrediendi locum, ut, salvati famuli tui ab his omnibus malis, referant honori tuo in perpetuum laudes sempiternas, et sciant, quia tu es Deus, regnan[s]⁵ in sæcula. Per Christum, Dominum nostrum.

¹ *Orig. del.*

² *Add. m. 1. superius*

³ *Rasura, olim et*

⁴ *Rasura, olim in cena (?)*

⁵ *Add. m. 1.*

49. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, et cetera. Et oleum reportetur, et in loco suo conservetur. Missa vero agatur ordine suo, quousque benedictiones episcopales solvantur, et Pax Domini sit semper vobiscum dicatur, et Agnus Dei primum cantetur. Tunc communicet solus pontifex, et diaconus offerat ei **ca154'**licem, et non frangat oblatas, nisi eam solam, unde ille communicet. Illo tantummodo die, postquam communicaverit episcopus, ponat diaconus calicem super altare. Deinde, acceptam a subdiacono patenam, ponat iuxta calicem de latere sinistro, et statim a duobus diaconibus utrumque cooperiatur · de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris · e regione pontificis · post corporale expansam.⁶ Tunc dominus episcopus vadat ad sedem suam cum diaconibus, et expectet.

[Confectio chrismatis]

50. Expectante vero in sede sua pontifice, veniant ad sacrarium duodecim presbyteri · et ceteri clerici, quantum opus sit ad offerendum cum omni decore oleum chrismale, et oleum catechumenorum, et neophytorum usque in ecclesia ante episcopum. Sint vero parati idem presbyteri · et cum eis ceteri clerici · casulis, et sollemnibus induti vestimentis. Tunc duo acolythi, accipientes illas⁷ ampullas duas, quæ ad chrisma et oleum catechumenorum consecrari debent, procedant, et ordinent se illi presbyteri · et prædicti clerici rite et ordinabiliter, ita ut primum ambulent duo acolythi cum candelabris, **155'** et candelis ardentibus. Deinde portentur duæ cruces, et inter illas medium oleum chrismale. Postea portentur duo turibula cum incenso, et inter illa medium oleum catechumenorum. Deinde portetur evangelium, ut impleatur omne bonum. Postea sequantur bini et bini · duodecim presbyteri, testes et cooperatores eiusdem sacrosancti chrismalis mysterii.

⁶ *Corr. m. 1. de expassam, sed malim corporalem vel expansum*

⁷ *Corr. m. 1. de illos*

51. Tunc sequantur pueri, in laudem eiusdem mysterii concinentes hos versus ad hoc congruentes:¹

*O, Redemptor, sume carmen temet² continéntium.*³

*Audi, iudex mortuórum, una spes mortálium,
audi voces proferéntum dona, pacis prævium.*⁴

*Arbor feta alma luce hoc sacrándum prótulit,
fert hoc prima præsens turba Salvatóri sæculi.*

*Stans ad aram immo supplex infulátus póntifex
débitum persólvit omne, consecráto chrísmate.*

*Consecráre tu dignéris, rex perénnis pátria,
hoc olívum, signum vivum⁵ iura contra dæmonum.*

*Ut novétur sexus omnis unctióne chrísmatis,
[et] medétur sauciátis dignitátis glória.*

52. Finitis versibus, dicatur Agnus Dei secundo. Sermo generalis de confectione⁶ chrismatis:

MAGNUM divínæ bonitátis est indícium, fratres mei. Tribus modis, fratres carísimi, dies iste ab ómnibus **155'** fidélibus celebrátur: hæc enim dies Cena Dómini dicitur, et in hac die pæniténtes recipiúntur a sancta Ecclésia · et pontífice per manus sacerdotum, qui, diabolo suadente, in criminalibus culpis lapsi fúerant, et hódie consecrátur óleum: óleum pro infirmis · et óleum catechumenórum · oleúmque principális chrísmatis. Cenávit ígitur Dóminus cum discípulis suis · ante diem festum Paschæ, et ántequam tradéndus esset, ut prædictum erat a prophétis, tradi in manus iniquórum et crucifígi, mori, et resúrgere, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, usque in finem diléxit eos. Quod est enim: diléxit eos usque in finem? Id est: usque ad⁷ mortem diléxit, quia in tantum diléxit suos, ut morerétur propter eos, et non solum propter eos, sed étiam pro ómnibus, qui creditúri erant in ipsum per verba eórum. Cenántibus autem eis, accépit Iesus panem, benedíxit, fregit, dedit discípulis suis, dicens: Accípite et comédite, hoc est corpus meum. Et, accépto cálice, grátias agens, benedíxit, et dedit illis, dicens: Bíbite ex hoc omnes. Hic est enim calix sán-**156'**guinis novi testaménti, qui pro vobis et multis effundétur in remissionem peccatórum. Et, edéntibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus ex vobis me traditúrus est. Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem hómini illi, per quem Fílius hóminis tradétur. Bonum esset illi, si natus non fuísset homo ille. At illi

¹ *Corr. m. 1. de congruentis*

² *Corr. m. 1. de tenet*

³ *Malim concinéntium*

⁴ *Malim præmium. Add. m. 1. in margine vel: donum, pacis præmium*

⁵ *Add. m. 1. superius*

⁶ *Corr. m. 1. de consecratione*

⁷ *Add. m. 1.*

coeperunt contristari · et dicere ei singillatim: Numquid ego? Erat autem ex discipulis unus, qui et recubuit in cena super pectus eius, et dixit: Domine, quis est, qui tradet te? Cui respondit Dominus Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porruxero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ. Deinde surgit a cena, et ponit vestimenta sua, praecinxit se linteo, misitque aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus.¹ Venit prius ad Petrum, dixitque ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit Dominus: Si non laveris te, non habebis partem mecum. [Et dixit Petrus]:² Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput. Dixit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi **156** estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset traditurus eum, propterea dixit: Mundi estis, sed non omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, et, cum recubisset iterum, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me: magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi vestros pedes, Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Surrexit a cena, et posuit vestimenta sua: significabat se positurum humanum corpus, quod assumpsit, in Cruce. Linteum praecinxit se: indicabat ipsum habitum corporis, quem induit, non sine dolore passionis depositurum. Lavit pedes discipulorum: in lavatione pedum · demonstrabat remissionem omnium³ peccatorum. Nam quod dicit: exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis, ostendit nobis, ut, si qui offenderint contra nos, dimittamus, sicut et nos a Domino, Pat[re]⁴ nostro nobis dimitti rogamus. Et, post lavationem⁵ pedum quod dicit: accepit vestimenta sua, significabat⁵⁷ ipsum corpus humanum, positum in sepulcro, se suscepturum, et post suam resurrectionem per quadraginta dies manifestaturum iam immortale. Nam Iudas, postquam de manu Domini buccellam accepit, continuo in illum Sathanas intravit, quia eam indigne accepit, et abiit ad Iudaeos, ut traderet Deum. Accipit Iudas buccellam sibi non ad salutem, sed ad iudicium. Ideo, fratres carissimi, cavere debetis, ne indifferenter accedatis ad sanctum altare, et accipiatis ipsum corpus Domini et sanguinem, quod suis⁶ semel tradidit discipulis, et quod cottidie per manus sacerdotum vobis praebet. Quicumque ergo digne percipiunt hoc, Christus in eis manet, et ipsi in Christo, et unum membrum efficiuntur in Christo. Ex quo videlicet, quisquis tollit membrum Christi, et facit membrum meretricis, aut certe per⁷ quodlibet grave delictum membrum diaboli, hic profecto non est in corpore Christi, quia factus est alterius membrum. Sicut illa mulier, quae fornicatur cum alio, proprio contempto marito: sic unaquaeque anima, contempto conditore suo, cuius corpori unita erat,

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1. in margine*

³ *Intellige omnium*

⁴ *Add. m. 1.*

⁵ *Corr. m. 1. de levationem*

⁶ *Add. m. 1. in rasura*

⁷ *Add. m. 1.*

consentiens suasionibus et operibus diaboli. Id/57/circo illi, qui suspensi erant ab Ecclesia, eo quod membrum Christi fecerant membrum diaboli · in criminalibus culpis labendo, hodie, peracta paenitentia, Ecclesiam introducuntur per manus pontificum. Quicumque ergo, absque confessione · et absque paenitentia ecclesiam intrans, audet corpus et sanguinem Domini accipere, ei debet duplex esse in paenitentia luctus: unus pro suis criminibus, alter vero pro hoc, quod negligenter et indigne accipere praesumpsit. Cogitat ergo quisque infidelis, quod indignus possit accipere hoc, non aliud quidem attendens, nisi quod videt, neque intelligens, nisi quod ore sentitur. Nequaquam igitur credit aut intelligit, quale vel quantum iudicium sumit, nempe quia simul omnes edere visibiliter cernit, nec, si aliqua virtus sit in eo, sapit. De angelorum vero praesentia dubitare nemo potest, et veraciter hoc credat, quia ultores angeli nec semel indigne communicanti parcerent, nisi bonitas Dei prohiberet, in cuius iudicio pendent cuncta, et qui neminem vult perire, sed vult, ut conver/58/tantur, et plangent peccata sua, quae commiserant, et sic vivant in Deo. Pensate, fratres, quam terribile est indigne ad communionem accedere inter angelorum frequentiam, et quam terribile est carnem Christi comedere, non aliam, nisi quam de Maria Virgine assumpsit, et quae crucifixa est, et sepulta. Sed, quia Christum vorari dentibus fas non est, volunt hunc panem et vinum carnem veram consecratione Spiritus Sancti creari, creando vero pro mundi vita cottidie immolari, et neque ab alio, quam ipso Christo porrigitur, licet visibilis sacerdos assistere · et singulis tribuere videatur, quia, quod iste per ignorantiam indifferenter omnibus tribuit, Christus sua virtute ex seipso decernit, cui ad remedium, cuique ad iudicium tribuatur. Quis autem carnem ipsius et sanguinem iure percipit, nisi ab ipso, cuius est sanguis? Et ideo ad iudicium alius, alius ad salutem accipit. Nam, qui cum Iuda, contemptore · suo peccato reus tenetur, cum Iuda utique condemnatur, et, qui cum Petro et ceteris fidelibus /58/ fideliter participatur, cum Petro quoque et ceteris aliis · in corpore consecratur; haec ideo patefeci vobis, ut caveatis vobis ab omnibus malis, et ne indigne accedere praesumatis ad corpus et sanguinem Domini. Hodie ergo, ut diximus, tribus modis · oleum consecratur: pro infirmis, et catechumenis, oleumque principalis chrismatis. De oleo vero, quo unguuntur infirmi, dicit beatus Iacobus apostolus: Infirmatur quis in vobis, inducat presbytero[s]¹ Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Unde patet ab ipsis apostolis hunc morem sanctae Ecclesiae traditum, ut energumini · vel alii quilibet aegroti unga[n]tur² oleo pontificali consecrato benedictione. De oleo enim, quo unguuntur catechumini, ipsa verba consecrationis eiusdem demonstrant, dicendo: ut, si quae maculae adhaserunt corpori aut menti, postquam ad scrutinium accesserunt, recedant, et deinceps munimentum habeant /59/ per hanc unctionem, ut non possit ad eos diabolus repedare. Ergo, ut diximus, hodie consecratur oleum principalis chrismatis. Principale enim ideo dicitur, qui[a]³ quo figurabatur Christus, ab omnibus christifidelibus principaliter veneratur · et colli-

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1.*

³ *Add. m. 1.*

tur. Cur vero ampúllis in vítreis recondátur, et nunc coopértum, modo vero nudum pópulis salutándum deferátur, hoc sacraméntum continétur. Ampúlla cum chrísmate · quodam modo significat corpus Dómini, sumptum ex Vírgine. Quod ántequam transíret ad altáre Crucis, áliquo témpore erat coopértum, et áliquo nudum. Primævo témpore erat coopértum, quando fugit in Ægýptum, quasi non esset rex regum; et quando portátus est ad templum, quasi non esset omnípotens; quando ita súbditus erat paréntibus, quasi non esset auctor paréntum. In his et his simílibus coopértum latébat. Nudum erat, postquam cœpit mirácula fácere, simúlque prædicáre, et se Deum demonstráre, ut, quando¹ inquit: Ego et Pater unum sumus. In his et áliis nudum erat. Ampúlla vero, postquam benedícta fúerit, et ab altári redit, a pontífice et minístris altáris · visíbilis et nuda salutátur: **159** hoc significat, quod Christus, postquam ad altáre Crucis transívit, præsentiam suam corporáliter eis exhibuit, quos testes suæ resurrectiónis esse vóluit. Quod céteris invisíbilis et coopérta ad salutándum defértur, significat, quod Christus, rédiens in cælum, invisíbilis homínibus factus est, ut ipse testátur: Exívi a Patre, et veni in mundum, íterum relínquo mundum, et vado ad Patrem. Nos vero, quamvis præsentiam eius corporálem non videámus, tamen eum venerádo cottídie salutámus. Quaprópter non solum ego, sed et sacerdotés, et vos, et iam fidéles láici simul manus levémus in cælum, ut inde quærámus auxiliúm, quo dígne possímus implére istud ministérium. Quia enim sanctum et magnum est, ídeo Dei auxilió · et vestro indígeo. Nemo tam dignus esse possit, qui sine divíno auxilió et fidélium adiutório possit · hoc ministérium perfícere; quanto magis ego, indígnus? Hoc enim ministérium tale est, ut nostris póllui non possit peccátis. Potest enim Deus sine óleo sanáre infírmos, sanctificáre suos, et dæmones expéllere, sed propter **160** fráguiles agúntur hæc visibília, ut spirituália et invisibília credántur. Erat enim antíquo témpore tantum in régibus et sacerdotibus hæc únctio, per quam Christus figurabátur. Sed, postquam Dóminus noster, verus rex et sacerdos, a Deo Patre cælésti unguénto est delibútus, iam non solum pónitífex et reges, sed omnis Ecclésia chrísmate consecrátur. Unde et Gr[æce]² Christus · Latíne Unctus dícitur, et a cuius sancto nómine chrísma nomen accépit. Sicut enim a Christo chrísma dícitur, sic a Christo Christiáni vocántur. Chrísma[te]³ vero consecrátur aqua baptísmatis, et effícitur fons cæléstis grátiae. Fons enim cæléstis grátiae · baptísma est. Baptísma autem est aqua, quæ témpore passiónis de látere Christi simul cum ságuine proflúxit; in aqua Christo credéntes · lavántur ab ómnibus suis peccátis. Inde et pópulus fidélium nominátur. Quæ dícitur fluxísse de látere Christi, ut, unde múlter creáta est, quæ decéperat priórem Adam, inde rursus Ecclésia formétur, cuius Christus in Cruce peccáta tulit. Constat ergo, quia omnes in se lavit, dum peccáta ómnium in Cruce tulit. Idcírco Ecclésia **160** vere dícitur manásse de látere Christi, ut, sicut illæ duæ res simul manárun, sic et ipsa, in Christi renáta baptísmate, unum efficiátur cum Christo, et vocétur sponsa Christi. In quo nimírum baptísimo Spíritus Sanctus in ánima renascéntis

¹ *Add. m. 1. superius*

² *Add. m. 1.*

³ *Add. m. 1.*

diffúnditur, ut univérſa Ecclésiá uno Spírítu vivificétur, et unum corpus efficiátur, quia, sicut ómnia membra córporis nostri · una ánima vivificántur · et regúntur, ut ex compáge membrórum unum corpus fiat, ita totíus Ecclésiæ membra uno Spírítu Sancto regúntur et vivificántur, ut unum corpus efficiántur. Si quis ipsum Spírítum non habet, hic non est eius. Sicut nemo dúbitat, quia unusquisque nostrum, adhuc útero matris clausus, occúlte ánimam accípiat, ut sit homo in ánima vivénte, ita ut mater néſciat, [quan]do¹ per eam, priúsqvam éxeat, ingrediátur in illum, sic nemo dubitáre debet, quod in aqua baptísmit, priúsqvam infans a fonte surgat, Spírítus Sanctus in eum, qui renáſcitur, advéniat. Si enim invisíbilis Spírítus ex cóitu patris · et libídine matris · invisíbiliter vivíficat sata hómínis membra, quanto magis ipse Spírítus Sanctus, qui *re/61'*plet orbem terrárum, offert se in aqua baptísmit, ut ómnibus renascéntibus per fidem íngerat se, quátenus per eum fílii Dei vocéntur · ac membra Christi, et ex ómnibus unum corpus fiat, unum caput: Christus, sínguli autem elécti alter alteríus membra.

53. [Tunc narrat illis catholicam fidem:]²

SI quis, fratres caríssimi, vult ædificáre domum, si sápiens est, primum ponit fundaméntum, ut, si véniat pluviális tempéstas vel venti válidi, non córruat. Simíliter, fratres, qui pro crimínibus suis a Deo fugit, et factus e[st]³ membrum diáboli, si redíre vult ad creatórem suum, Deum omnipoténtem, in primis habére debet fidei scutum, unde possit se deféndere contra univérſas fraudes diáboli. Máxima et prima ómnium virtútum est⁴ fides cathólica, quam qui non habet, étiam si bona ália fécerit, non prosunt ei, quia, sicut⁵ homo non potes[t]⁶ se de[f]éndere⁷ a vúlnerē, si non habet clipeum, sic étiam non potest peccátor se deféndere ab insídiis diáboli, qui est invisíbilis, si non habet fidem. Vidéte, qualis sit fides. Christus [i]n⁸ Bethánia dixit ad Martham: Credis, <ut>⁹ si¹⁰ súscit[em]¹¹ fratrem tuum, Lázarum? Ait: Credo, */61'* Dómine. Ergo crédidit, [et]¹² vidit glóriam. Latro pendens in [cr]uce¹³ hábuit fidem, quando dixit: Meménto mei, dum véneris in regnum tuum. Cui dixit Deus: Hódie mecum eris in paradíso. Petro [íterum dixit],¹⁴ cum cepísset mergi: Módicæ fidei,

¹ *Add. m. 1. q in rasura et an super syllabam do*

² *PZ 17^r*

³ *Add. m. 1. in rasura*

⁴ *Rasura*

⁵ *Add. m. 1.*

⁶ *Add. m. 1.*

⁷ *Add. m. 1. in rasura, olim descendere (?)*

⁸ *Add. m. 1. in rasura*

⁹ *Orig. del.*

¹⁰ *Rasura, olim -at (?)*

¹¹ *Add. m. 1. in rasura*

¹² *Add. m. 1.*

¹³ *Add. m. 1. in rasura*

¹⁴ *Add. m. 1. íterum in rasura, dixit in margine*

quare dubitásti? Ecce, [in]¹ fide apóstolus dubitá[vit],² latro crédidit. Sic [qui]³ in vita sua diabóli artem⁴ vitare non póterat, una hora crédidit, sic diabolum superá[vit].⁵ Ergo, fratres, omnes [ad fidem sanctæ Trinitátis]⁶ cúrrite, ut beatíssimam grátiam percipi[átis],⁷ et, sic interrogáti, elevátis mánibus in cælum, dícite:

54. [In primis ipse dicat. Deinde post illum omnes dicent ita:]⁸ R.

CREDO in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ, et ómnium creaturárum. Et in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum. Et in Spíritum Sanctum. Tres persónas, unam deitátem esse. Credo in eúndem Christum, Patris mansiónem, ex sua benevolenéntia natum ex Dómina, sancta María Vírgine propter hóminum peccáta, non propter áliam causam. Et credo, quia passus est · et mórtuus, quia verus homo est, et credo, quia ad cælos ascéndit, illis intuéntibus, qui illíus rei digni fuérunt. Et **162^r** credo, quod inde ventúrus est in die iudícii iudicare vivos et mórtuos · secúndum mérita illórum. Et credo sanctam Ecclésiám cathólicam esse, et credo remissionem peccatórum, et credo, quia ego ipse in hac, qua modo appáreo, [carne]⁹ resúrgere débeo, et ratiónem réddere ónnum meritórum meórum, et credo ætérnam vitam post istam vitam.

55. [Deinde dicat confessionem:]¹⁰

CONFÍTEOR Deo omnipoténti, et Dóminæ sanctæ Mariæ, et sancto Petro, et ómnibus Dei fidélibus · ómnia peccáta mea, quæcúmque feci, ex quo peccáre pótui usque in hanc horam. Confíteor, quia sanctam Christianitátem, quam in baptísimo suscépi, et quam ibi promísi, ita non servávi, sicut débui. Confíteor, quod sanctam Eucharístiam, hoc est: verum corpus Dómini nostri non ita dignánter, nec tam frequénter accépi, sicut débui. Confíteor et hoc, quod sanctum Dei templum cum mea oratióne et cum mea oblatiÓne · non ita frequéntávi, sicut débui, et, quando illuc veni, quod divínium officium non ita dignánter, nec tam humíliter pro meis culpis audívi, sicut débui. Confíteor et hoc, quia sanctam Quadragésimam · et ália indícta ieiúnia · sic non ieiunávi, sicut **162^r** débui. Confíteor et hoc, quia sanctas domínicas · et álias sanctas sollemnitétes · non sic servávi, nec honorávi, sicut iuste débui. Confíteor et hoc, quod senióri meo · et áliis, quibus fidem promísi, ita fidélis non fui, sicut débui. Confíteor, quia patrem, et matrem, et álios meos propínquos ita non amávi, sicut débui. Confíteor, quia amícos · et inimícos non ita diléxi, sicut débui, et sicut

¹ *Add. m. 1.*

² *Add. m. 1. in rasura*

³ *Add. m. 1.*

⁴ *Add. m. 1. in rasura, partem tantum litteræ a- relinquens*

⁵ *Add. m. 1. in rasura*

⁶ *Add. m. 1. in rasura dimidiæ fere lineæ*

⁷ *Add. m. 1. in rasura*

⁸ **PZ** 17^r

⁹ *Orig. add.*

¹⁰ **PZ** 17^r

Deus præcepit. Confíteor, quia infirmos et in cárcere pósitos · ita non consolátus sum,¹ nec visitávi, sicut débui. Confíteor, quia esuriéntes · et sitiéntes · ita non recreávi, sicut débui. Confíteor, quia algéntes · et nudos ita non vestívi, sicut débui. Confíteor, quia peregrínos · et álios vagos ita non récipi,² nec consolátus sum, sicut débui. Confíteor, quia víduis, et órphanis, et áliis paupéribus ita non subvéni, sicut débui. Confíteor, quia semper malívolus fui · omnis boni, et benívolus omni[s]³ mali. Ist[a] et áli[a] peccát[a] mult[a],⁴ quæ non⁵ recórdor, [confíteor me]⁶ fecísse, aut dormiéndó, aut vigílándó, coácte, aut non coácte, aut áliis consensísse ad faciéndum: **163'** in homicídiis, in periúriis, in furtis, in falsis testimóniis, in rapínis, in sacrilégiis, in adultério, in incéstu, in luxúria, in pollutióne, in multí«s»modis⁷ fornicatióibus, in inobœdiéntia, in negligéntia servitútis Dei · et seniórís mei, in iníquis cogitatióibus, et in malis opéribus. Confíteor omnipoténti Dómino, et ómnibus sanctis, et tibi, sacerdoti me peccatórem esse, et precor indútias, peto spátium, ut ante meum éxítum cum pura confessiόne · et vera pæniténtia · ómnia peccáta mea emendáre mihi⁸ líceat, et ut in novíssimo cum pace ire váleam, et ad ætérna gáudia perveníre líceat, ne diábolus, omnis húmáni géneris inimícus lætétur ex mea morte.

60. *Absolutio:*

DÓMINUS, Iesus Christus, qui dixit discipulis suis: quæcúmque ligavéritis super terram, erunt ligáta⁹ in cælis, et, quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cælis, de quorum número quamvis me, indígnum et peccatórem, mínistrum tamen esse vóluit, intercedénte Dei Genitríce, María, et beáto Michaéle archángelo, et beáto Petro apóstolo, cui data est potéstas ligándi et solvéndi, et ómnibus **163'** sanctis: ipse vos absólvat ab ómnibus peccátis vestris, quæcúmque aut cogitatióne, aut locutióne, aut operatióne, aut negligéntia · egístis, atque, a vínculis peccatórum vestrórum absólvatos, perdúcere dignétur ad regnum cælórum.

61. *[Allocutio:]*

MODO fácite, sicut consuetúdo est apud omnes Christiános, quia bonam consuetúdinem frequentáre debétis, non dimíttere. Noster Dóminus dicit in Evangélio: Ubi duo · vel tres congregáverint se propter suum servítium, aut propter suam laudem, seu propter áliquam iustítiam, ut ille sit eórum in médio. Inde debémus crédere, et veráciter¹⁰ póssumus scire · suam grátiam hic nobíscum esse. Mementóte pri-

¹ *Add. m. 1.*

² *Malim recépi*

³ *Add. m. 1.*

⁴ *Suffixa -a add. m. 1. in rasuris*

⁵ *Rasura*

⁶ *Add. m. 1. in rasura*

⁷ *Orig. del.*

⁸ *Add. m. 1.*

⁹ *Rasura*

¹⁰ *Rasura*

us cum vestra sancta oratione domini papae **illius**, qui est caput sanctae et universalis Ecclesiae, et qui sedem sancti Petri possidet, et simul omnium episcoporum, atque omnium consecratorum hominum, ut Deus omnipotens ita illorum corda dignetur Spiritu Sancto illuminare, ut possint et sanctam Ecclesiam defendere spirituallibus armis ab omnibus inimicis invisibilibus, et ad aeterna gaudia perducere. Deinde memento domini nostri regis, **164'** et cum eo omnium laicorum, qui cum saeculari gladio sanctam Ecclesiam defendere debent a paganis, et ab omnibus invisibilibus inimicis, ut Deus omnipotens det illis victoriam contra omnes hostes. Deinde orate pro diversis necessitatibus, quae sanctae Christianitati incumbunt, de qualicumque peccato hoc fit, ut Dominus noster per vestram sanctam orationem hoc peccatum dignetur ab ea repellere, ut cum pace et tranquillitate illum laudare · et illi servire liceat. Ad ultimum orate pro animabus, quaecumque recta fide ex hoc saeculo demigraverunt. Primum unusquisque pro sui carissimi amici anima, quia hic nemo est, qui non habeat amicum de hoc saeculo missum, si in aliqua poena sint, ut Deus omnipotens per vestram orationem inde eas dignetur liberare · ac caelesti regno collocare, ibique aeternis consolari gaudiis. Amen.

62. Postea dicat episcopus ad populum:

Fratres, commune donum consecratur, communis oratio prosequatur.

63. Incipiente illo cum clero:

Protege, Domine, plebem tuam. [V.] Te, sancta Dei crux.

64. Interim autem populus dicat: Kyrie, eleison. Tunc convertat **164'** se ad orientem, et intret in consecrationem principalis chrismatis, et primum misceat balsamum cum oleo,¹ ✠ deinde halat «deinde»² super ipsam ampullam ter in hunc modum: ☉, et dicat lenta voce exorcismum chrismatis olei:

EXORCIZO te, creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit caelum, et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnisque exercitus diaboli, omnisque incursio, et omne phantasma Satanae eradicetur et effugetur a te, ut fias omnibus, qui ex³ te ungenti sunt, in adoptionem filiorum · per Spiritum Sanctum ✠ in nomine Dei P ✠ atris omnipotentis, et Iesu ✠ Christi, Filii eius, Domini nostri. Qui cum eo vivit et regnat in unitate eiusdem.

65. Praefatio: Per omnia saecula. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino, Deo nostro.

U Æterne Deus. Qui in principio inter cetera bonitatis et pietatis tuae munera terram producere fructifera ligna iussisti, inter quae huius pinguisissimi li-

¹ Hic debuit inseri textus totius folii 65., vide infra, cf. PZ 17^r

² Orig. del.

³ Add. m. 1.

quóris ministræ, olívæ nasceréntur, quarum fructus sacro chrísmati deservíret. Nam et David, spírítu prophético grátia tuæ sacraménta **164^v**¹

66. ✠ **Benedictio in commixtione balsami et olei:**

ORÉMUS Dóminum nostrum omnipoténtem, qui incomprehensibilem Unigéniti Fílii · sibíque coætérni divinitátem mirábili dispositiône veræ humanitati inseparábiliter coniúnxit, et, grátia cooperánte Sancti Spírítus, óleo exsultatiónis præ participibus suis linívit, ut homo, fraude diabóli pérditus, gémina et singulári constans matéria, perénni redderétur, de qua excíderat, hereditáti, quátenus hos ex diversis creaturárum speciébus liquóres creatos Trinitátis perfectiône benedicat, et benedicéndo sanctíficet, concedátque, ut simul unum fiant, et quæcúmque extérius perúctus fúerit, ita intérius liniátur, quo, ómnibus sórdibus corporális matériæ carens, se partícipem cæléstis regni fáciat.

67. **Hic fiat commixtio balsami et olei, ita dicendo:**

Hæc commíxtio liquórum fiat ómnibus perúctis propitiátio et custódia salutáris in sæcula sæculórum, amen.

68. **Sequitur oratio:**

DOMINÁTOR, Dómine Deus, rex unctus, auctor unguénti, speciósus forma, speciósior unctiône sacráto, ipse tuus, ipse ómnium consecrátor, qui unguéntum de potestáte sanctíficas, **po165^v**/testátem cónsecras de unguénto, de unguénto fecísti chrisma, de chrísmate nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine isto sit regális únctio Christiánis. In tuo ergo nómine fiat hæc creatúra iam chrisma, et habeátur, ut chrisma, forma crucis, signum frontis, sacri título bellatóris. In hoc chrísmate mulceátur audítus, purificétur visus, odorátus suavéscat, saporétur gustus, tactus in Trinitáte sit sólídus, ut, tálibus stipéndiis Dómini mílites decoráti, atque ambrósio rore mádidi, imperánti sérviant, non suadénti, et signáti hoc chrísmate sancto, signíferi esse mereántur cæléstes.

69. **His ita finitis, convertat se episcopus, vel cui ille præcepit, tam ad clerum, quam ad populum, et faciat sermonem de confectione chrismatis:** Magnum divínæ bonitátis. **Sermone peracto, halat ter super ampullam, et dicat lenta voce exorcismum chrismalis olei:** Exorcízo te, creatúra olei. **166^v**

prænóscens, vultus nostros in óleo exhilarándos esse cantávit. Et, cum mundi crímina dilúvio quondam expiaréntur effúso, similitúdinem múneris futúri colúmba demónstrans, per olívæ ramum pacem terris rédditam nuntiávit. Quod in novíssimis temporibus maniféstis est efféctibus declarátum, cum, baptísmatis aquis ómnium críminum commíssa deléntibus, hæc olei únctio · vultus nostros iucúndos · éfficit ac serénos. In-

¹ *Folium 65., continens textus negligentia omissos ad balsamum pertinentes, est ceteris minus, et supplementum ab alia manu, differenti tam a principali, quam a paginas 40–42 scribenti.*

de étiam Móysi, fámulo tuo mandásti, ut Aaron, fratrem suum, prius aqua lotum, per infusiónem huius unguénti constitúeret sacerdotem. Accéssit ad hoc ámplior honor, cum Fílius tuus, Iesus Christus, Dóminus noster lavári se a Ioánne undis Iordánicis exegisset, ut, Spírítu Sancto in colúmbæ similitúdine désuper misso, Unigénitum tuum, in quo tibi óptime complacuísti, testimonio subsequéntis vocis osténder[es],¹ et hoc illud esse manifestíssime comprobáres, quod cum óleo lætítiæ præ consórtibus suis ungéndum David voce prophética cecinisset. Te ígitur deprecámur, Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, per eúndem Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum, ut **166'** huius creatúræ pinguédinem · sanctificáre tua benedictióne dignéris, et² Sancti Spírítus ei admíscere virtútem, cooperánte poténtia Christi tui, a cuius nómine sanctum³ chrisma nomen accépit. Unde unxísti sacerdótes, reges, et prophétas, et mártýres, ut spirítális lavácri baptísimo renovándis · creatúram chrísmatis⁴ sacraméntum perféctæ salutis vitæque confírmes. Ut, sanctificatióne unctiónis infúsa, et corruptióne primæ nativitátis absórpta, sanctum uniuscuiúsque templum acceptábilis vitæ innocens [o]dór[e]⁵ redoléscat, ut secúndum constitutiónis tuæ sacraméntum, régio, et sacerdotáli, prophético honóre perfúsi, vestiménto incorrupti múnerris induántur, [et]⁶ sit his, qui renáti fúerint ex aqua et Spírítu Sancto, chrisma salutis, eósque ætérnæ vitæ partícipes · et cæléstis glóriæ fáciat esse consórtes. Per eúndem.

70. Finita benedictione, dominus episcopus salutet nudum chrisma, et qui iuxta eum sunt, et ita iterum per ordinem descendat, sicut ascendit, et deferatur omnibus coopertum⁷ ad salutandum. Hoc facto, summo honore procuretur **167'** usque altera ampulla ascendat, et iterum descendat, ut ambæ honorifice ad locum suum redeant. De [eo], quod ampulla aliquibus⁸ cooperta ad salutandum deferatur. Deinde dicat dominus pontifex:

DICIT libéllus Románi órdis · de consecratióne chrísmatis: Contínuo duo acólythi involútas ampúllas cum sindóne munda, de albo sérico facta téneant in bráchio sinístro, ita ut vidéri possint a médio. Ampúlla, ántequam véniat ante epíscopum ad altáre, média pars eius est coopérta, et média nuda. Ampúlla cum chrísmate significat corpus Dómini nostri, sumptum ex Vírgine. Quod ántequam transíret ad altáre Crucis, áliquo témpore erat coopértum, et áliquo nudum. Primævo témpore erat coopértum, quando fugit in Ægýptum, quasi non esset rex regum, et, quando portátus est ad templum, quasi non esset omnípotens, et, quando⁹ súbditus erat paréntibus, quasi non esset auctor paréntum. In his et his simílibus coopértum latébat. Nudum erat, **167'** postquam cœpit mirácula fácere, simúlque prædicáre, et se Deum demonstráre,

¹ *Add. m. 1. in rasura*

² *Add. m. 1. in rasura*

³ *Corr. m. 1. de sancto*

⁴ *Rasura*

⁵ *Add. m. 1. in rasuris*

⁶ *Add. m. 1. in margine*

⁷ *Corr. m. 1. de cooperta*

⁸ *Confirmavit m. 1. rubro*

⁹ *Corr. m. 1. de quia do (?)*

ut inquit: Ego et Pater [unum]¹ sumus. In his et aliis nudum erat. Ampulla vero, postquam benedicta fuerit, et ab altari redit, a pontifice et ministris altaris visibilis et nuda salutatur: significat, quia Christus, postquam ad altare Crucis transit, praesentiam suam corporalem · eis praebeat, quos testes suae resurrectionis esse voluit. Quod ceteris invisibilis · et cooperta ad salutandum defertur, significat, [quia Christus],² rediens in caelum, invisibilis hominibus est factus, ut ipse testatur: Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Nos vero, quamvis eius praesentiam corporalem non videamus, tamen venerando cottidie eam salutamus.³

Incipit exorcismus olei, quo ununtur catechumeni

71. Descendente vero ampulla cum chrismate, statim alia cum oleo catechumenorum ascendit cooperta, sicut prior, usque ante episcopum, et halat in ipsa, sicut in priore, hoc modo: ☉, et in primis faciat ei exorcismum, et benedicat eam, quasi legens lectionem: /68'/

EXORCISMUS igitur Graece · Latine coniuratio · sive sermo increpationis est adversus diabolum, ut discédat; et concluditur sic: « Per Dóminum nostrum, Iesum Christum, Fílium tuum, qui ventúrus est. » Ideo illo ungentur oleo catechúmeni, quibus máculæ adhæsérunt córpori aut menti, postquam ad scrutínium accédunt, ut⁴ recédant, et deinceps muniméntum hábeant per hanc unctiónem, ne possit ad eos diábolus repedáre, ut hæc verba oratiónis monstrent, dicéndo: « ut, si quæ illis adversántium spírítuum inhæsérunt máculæ, ad tactum sanctificáti ólei omnes abscedant. »

72. [Exorcismus:]

EXORCÍZO te, creatúra ólei, in nómine Dei Patris · omnipoténtis, et in nómine Iesu Christi, Fílii eius, et Spíritus Sancti, ut in hac invocatióne trinæ potestatis · atque uníus virtúte deitátis · omnis nequíssima virtus adversárii, omnis inveteráta malítia diáboli, omnis violénta occúrsio, omne confúsum et cæcum phantásma eradícetur, et effugétur, et discédat a creatúra huius ólei, ad utilitátem hóminum constitúta. Ut fiat hæc únctio divínis /68'/ sacraméntis purificáta in adoptiónem carnis et spíritus, qui ex eo ungi debent, in remissiónem ómnium peccatórum, ut efficiántur eórum córpora, ad omnem grátiam spirituálem accipiéndam, sanctificáta. Per eúndem.

73. [Oratio:]

DEUS, incrementórum et proféctuum spirituálium remunerátor, qui virtúte Sancti Spíritus tui imbecillárum méntium rudiménta confírmas: te orámus, Dómine, ut ventúris ad beátæ regeneratiónis lavácrum · tríbuas per unctiónem istíus creatúráe

¹ *Add. m. 1. in margine*

² *Add. m. 1.*

³ *Add. m. 1. super rasuram*

⁴ *Corr. m. 1. de et*

purgatióem mentis et córporis, ut, si quæ illis adversántium spirítuum inhæsérunt máculæ, ad tactum sanctificáti ólei huius abscédant. Nullus spirítalibus nequítiis locus, nulla réfugis virtútibus sit fácilitas, nulla insidiántibus malis latéendi licéntia relin-
quátur, sed veniéntibus ad fidem servis tuis · et Sancti Spíritus tui operatióne mun-
dándis · sit unctiós huius præparátio útilis ad salútem, quam étiam cælésti regenera-
tióne vel nativité in sacraméto sunt baptísmatis adeptúri. Per eum, qui ventúrus.

74. Tunc dominus episcopus, et qui iuxta eum sunt, saluent **169^o** eam, et descendat per ordinem, sicut altera, et deferatur omnibus ad salutandum. His itaque peractis cum¹ decore, dum ascenderunt in ecclesiam, redeant ambæ ad sacrarium · cum subsequentibus versibus:

*Lata mente, sacro fonte aufugántur crimina,
uncta fronte, sacrosáncta influant ch[a]rismata.*

*Corde natus ex Paréntis, alvum implens Vírginis:
præsta lucem, claude mortem, chrísmatis consórtio.*

*Sit hæc dies festa nobis sæculórum sæculis,
sit sacráta, laude digna, nec senéscat témpore.*

75. Tunc dominus pontifex lavet manus, et diaconi vadant ad altare, et discooperiant sancta, et pontifex, veniens ad altare, frangat oblatas ad dividendum, sumatque de ipsis oblatas integras, ad servandum usque mane diei Parasceven.² De quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consumetur, et schola dicat: Agnus Dei tertio, et osculum non detur; communicio dicatur:

Dóminus Iesus, cum psalmo et Glória.

76. Fractis oblatas, communicent presbyteri, et diaconi, et ceteri omnes, dum celebretur vespera, **169^o** cantore statim incipiente antiphonam:

*Cálicem salutáris accípíam. [Ps.] Crédidi, propter.
Cum his, qui odérunt pacem. [Ps.] Ad Dóminum cum tribulárer.
Ab homínibus iníquis. [Ps.] Eripe me, Dómine.
Custódi me a láqueo. [Ps.] Dómine, clamávi ad te.
Considerábam ad déxteram. [Ps.] Voce mea ad Dóminum.*

77. Lectio non dicatur, nec versus, sed tantum antiphona:

Cenántibus autem. [Ps.] Magníficat.

78. Et ita perficiatur missa ordine suo. Et tunc diaconus: Ite, missa est. Episcopus vero descendat in sacrarium, mandans presbyteris, quibus voluerit, ut³ chrisma novum misceatur cum veteri, si quid residuum sit, similiter et oleum, et ita dividatur, et per presbyteros. Et finita sunt ista omnia.

¹ *Add. m. 1. rubro*

² *Sic passim, tamquam indeclinabile, intellige Parasceves*

³ *Add. m. 1. rubro*

[ORDO AD MANDATUM FACIENDUM]¹

79. Expletis omnibus, procedat dominus pontifex cum omni alacritate · cum presbyteris et clero. Similiter ante cibum vel post cibum eat ad locum, ubi mandatum perficere voluerit; illo primo incipiente, mutuatim pedes lavent, et distergant, canentes antiphonam:

IN illo tēpore. Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia hora eius venit, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos, et cétera.

Ante 170¹ diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia hora eius venit, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem, hic præcingat se domnus episcopus linteo, linteo præcínxit se, et hic ponatur aqua in pelvim, misit aquam in pelvim, hic incipiat pedes lavare, cœpit lavare pedes discipulorum. Venit ad Petrum, dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in ætérnum. Respóndens Iesus, dixit: Si non lávero te, non habébis partem mecum, Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput.

Cena facta, dixit Iesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, quia unus vestrum est hic, qui me traditúrus est in hac nocte. [V.] Mélius illi erat, si natus non fuisset homo ille.

Postquam surrexit Dóminus a cena, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum: hoc exéplum reliquit eis.

Mandátum novum do vobis, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos, dicit Dóminus. [V.] Reges terræ et omnes pópuli, príncipes et omnes iúdice terræ. Mandátum novum [do vobis, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos, dicit Dóminus.]²

Diligámus nos ínvicem, quia cáritas ex Deo est, et, qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, et videt Deum.

Vos vocátis, me: magíster et Dómine, et bene dicitis, sum ét³enim; si ego lavi pedes vestros, Dóminus et magíster vester,⁴ et vos debétis alter altérius lavare pedes.

Exéplum dedi vobis, ut quemádmódum ego feci vobis, ita et vos faciátis.

Dómine, tu mihi lavas pedes? Respónt^{170¹}idit Iesus, et dixit ei: Si non lávero tibi pedes, non habébis partem mecum. Dómine, non tantum pedes, sed et manus et caput.

In diébus illis múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit, quod Iesus accubúisset in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Dómini

¹ PZ 20^v

² Add. m. 1. in margine

³ Rasura

⁴ Add. m. 1.

Iesu, lácrimis cœpit rigáre pedes eius, et capillis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes eius, et unguénto unguébat. [V.] Dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

María ergo unxit pedes Iesu, et extérsit capillis suis, et domus impléta est ex odóre unguénti.

Audíte hæc, omnes gentes, áuribus percípите, qui habitátis orbem.

Deus cáritas est, et, qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo, dicit Dóminus. [V.] Máneat in nobis fides, spes, cáritas: tria hæc, maior autem his est cáritas. Deus cáritas est.

Ubi est cáritas et diléctio, ibi sanctórum est congregátio, ibi nec ira est, nec indignátio, sed firma cáritas in perpétuum. Christus descéndit mundum redímere, ut liberáret de morte hóminem. Exémplum præbuit suis discípulis, ut ínvicem pedes ablúerent.

Ubi fratres in unum gloríficent Deum, ibi dabit Dóminus benedictiónem. [Ps.] Ecce, quam bonum et quam iucúndum, habitáre fratres in unum. Ubi fratres in unum.

Congregávit nos Christus, ad glorificándum seípsum: Reple, Dómine, ánimas nostras Sancto Spírítu. [V.] Ignem tui amóris accénde in córdibus nostris, omnípotens Dóminus. Congregávit nos Christus. [V.] A solis ortu usque ad occásum, ab aquilóne et mari. 171' [C]ongregávit. [V.] Deus, qui inhabitáre facis unánimes in domo. Reple, Dómine. [V.] Dicant nunc, qui redémpiti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci et de regiónibus: Congregávit.

Ecce, quam bonum et quam iucúndum, habitáre fratres in unum. Sicut unguéntum in cápíte, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

In hoc cognóscant omnes, quia mei estis discípuli, si dilectiónem habuérítis ad ínvicem.

Laudáte Dóminum, omnes gentes, et collaudáte eum, omnes pópuli. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius, et véritas Dómini manet in atérnum.

Dóminus Iesus, postquam cenávit cum discípulis suis, lavit pedes eórum, et ait illis: Scitis, quid fécerim vobis, ego, Dóminus et magíster? Exémplum dedi vobis, ut et vos ea faciátis.

Comméndat autem suam caritátem Deus in nobis, quóniam adhuc, cum essémus peccatóres, Christus pro nobis mórtuus est; quanto magis iustificáti nunc in sángvine eius salvi érimus ab ira per ípsam.

80. Post hæc psalmi:

Miserére mei, Deus.

Deus, in nómine tuo.

Dómine, Deus salútis meæ.

81. Et sequuntur preces:

Suscévimus, Deus, misericórdiam tuam. In médio templi tui.

Tu mandásti mandáta tua. Custodíre nimis.

Tu lavásti pedes discipulórum tuórum. Opera mánuum tuárum ne despicias.

82. *Oratio:*

ADÉSTO, Dómine, nostræ servitútis officio, et, quia tu laváre dignátus es pedes discipulórum tuórum, ne despicias ópera mánuum tuárum, quæ nobis retinenda mandásti, ut, sicut abluúntur exterióra pedum inquinaménta, sic a te ómnium nostrórum interióra lavéntur peccáta. Qui cum Patre.

83. *Benedictio piscium:*

DEUS, qui hanc creatúram piscium ex aquárum flúctibus in mundi princípío prodíre iussísti, qui hanc inter céteras rerum natúras tuo es dignátus ore benedícere, de qua, post assúptam humáni géneris formam, Unigénitus Fílius tuus coram discípulis suis · assa igne comédere vóluit, ad insinuándam¹ nobis suæ passiónis veritátem: benedic étiam cibos piscium, et præsta nobis, ut, qui de passióne Dómini nostri, Iesu Christi ardóre tribulatiónis excóquimur, de ineffábili eius resurrectiône · refrigerií rore lætémur. Per.

84. *[Post hæc sequitur expositio evangelii:]*²

MULTA quidem Dóminus et Salvátor noster · in dispensatióne humanitátis suæ, quam pro nostra ómnium salúte ágere dignátus est, exéempla nobis humilitátis osténdit. Sed hoc super ómnia potíssimum est humilitátis exéplum, quia dignátus est suórum laváre pedes discipulórum. Ut légimus in Evangélio: Et surgens, inquit, a cena, éxuit se túnica, et præcínxit se línteo. Deínde misit aquam in pelvim, et cœpit laváre pedes discipulórum suórum. Mira et incomparábilis humílitas Salvatóris! Lavit pedes discipulórum vel servórum suórum Dóminus maiestátis æternæ, et ministrat homínibus in terra, cui ángeli ministrant et séviunt in cælo. Ad hoc se humiliávit in terra, ut te, o, homo, per humilitátem tuam subleváret in cælum. Ad hoc se humiliávit inter hómínes, ne tu exaltári velles super hómínes, sed pótius humiliári. Quia humílitas cælos ascéndit, supérbia autem erigéntem se deiécit de cælo. Lavit ergo Dóminus discipulórum suórum, ne tu dedignéris servórum tuórum pedes laváre. Quod ergo dicitur: éxuit se túnica, id est: carne mortáli, quam assúpsit ex Vírgine: depósuit in Cruce, ut nostram ómnium peccatórum nuditátem contégeret. Cum autem venísset ad Simónem, qui dicitur Petrus, a quo primum cœpit laváre pedes, dicit ei Petrus: Non lavábis mihi pedes in ætérnum. Respóndens Iesus, ait ei: Et si non lávero te, non habébis partem mecum. At ille respóndens ait: Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Primum excusábat sibi pedes a Dómíno lavári, quia indignum se credebát eius obséquio. Sed, postquam cognóvit mystérium, non recusávit obséquium, ut habéret cum Christo consórtium. Manus obtulit ad lavándum, ut totíus córporis sensus · et animæ sordidátæ peccátis · sacrosáncto fonte · per Chri-

¹ *Corr. m. 1. de insinuándum*

² *PZ 21^r*

sti grátiam dilueréntur. Pedes obtulit ad lavándum, ut gressus humáni óperis, qui pol-
lúti fúerant per peccátum, sacro lavaréntur baptísimo. Totum se lavári offerébat, quia
«totum»¹ humánium genus totum salvári indigébat. Ut in lavatióne cápitis · cor mun-
dum mererétur habére. In lavatióne mánuum: ópera iustítiæ. In lavatióne pedum: per
viam veritátis mundis gréssibus ambuláre. Lavit ergo Dóminus pedes discipulórum
suórum, ne in nobis áliqua peccáti vestígia · de sórdibus remanérent. Lavit pedes di-
scipulórum, quos ad grátiam baptísimi salutáris ínvitát, ut ibi remissiónem ómnium
peccatórum percípiant. Et, quamvis per hómínes exerceátur huiúsmodi officium,
opus tamen illíus est, qui auctor est múnieris, et ipse facit, quod ipse instítuit. Nos ex-
hibémus officium, ille peccáta dimíttit. Nos **173'1** corpus lavámus, ille ánim[am]²
mundat. Dignum est ígitur, fratres caríssimi, tam sanctum mystérium · et tam salutá-
re humilitátis exémplum · dignis móribus imitári · et sancta conversatióne illam sacra-
tíssimam lavatiónem observáre, ut, si, cogénte humána fragilitáte, post baptísma in-
quinavérimus vitam, pura confessiáne, digna pæniténtia, cum lácrimis et eleemósynis
hoc diluámus, ut ad veram indulgéntiam, scílicet Christum perveniámus, Dóminum
nostrum, in Trinitáte perfécta vivéntem, et regnántem in sæcula sæculórum. Amen.

85. [Redeundo in ecclesiam, cantent hos versus:]³

- | | | |
|--|--|---|
| 1. <i>Tellus ac æthra iúbilent
in magni cena princípis,
quæ protoplásti pectora
vitæ purgávit férculo.</i> | 4. <i>Pallet servus obséquo,
cum angelórum Dóminum,
feréndo lympham línteum,
cernit ceno⁴ procumbere.</i> | 7. <i>Trux lupe, Iuda péssime:
fers agno 173'1 miti básia,
das membra loris régia,
quæ sorde tergunt sæcula.</i> |
| 2. <i>Hac nocte factor ómnium
poténti sat mystério
carnem suam cum sáanguine
in escam transfert ánimæ.</i> | 5. <i>Permitte, Simon, áblui:
acta figúrant mýstica,
dum summus ima báiuulat,
quid cernit, servit cíneri.</i> | 8. <i>Nexus solvúntur hódie
carnis ac cordis cárcere,
unguen sacrátur chrísmatis,
spes unde crescat míseris.</i> |
| 3. <i>A celsis surgens dápiibus,
præbet formam mortálibus:
humilitátis grátia
Petri petens vestígia.</i> | 6. <i>Salvátor choris áccubat,
verbisque favos ággregat,
quos inter hostem dénotat,
necis qui dolos rúminat.</i> | 9. <i>Victóri mortis ínclytam
pangámus laude glóriam,
cum Patre et Spírítu Sancto,
qui nos redémit óbitu.</i> |

Tellus ac æthra.

86. Postea venientes presbyteri et diaconi in ecclesiam, denudent altaria, cantantes:

[Ant.] *Divisérunt sibi vestiménta mea.*

[R.] *Ierúsalem, luge, et éxue te véstibus.*

87. Deinde cantetur completorium privatim.

¹ *Orig. del.*

² *Add. m. 1.*

³ **PZ** 21^r

⁴ *Malim cenæ*

XII. Ordo in vigilia Parasceven

1. In nocte Parasceven temporarie ligneus tabuletur¹ sonus, collectis omnibus in ecclesiam. Non dicatur: Deus, in adiutórium meum inténde, nec: *Veníte*, sed antiphona: *Astitérunt reges terræ*. Ad psalmum non dicatur Glória. Versus dicatur pleniter, non subtrahendo finem, lectiones legantur de Lamentationibus Ieremiæ prophetæ ab eo lo[co],² ubi ait: Quómodo obtéxit te calígo, et tres de tractatu sancti Augustini episcopi de psalmo sexagesimo quarto: Intendérunt arcum, rem amáram. Tresque de Apostolo, ubi ait: Festinémus íngredi ad illam réquiem. Lector benedictionem non petat, nec finem solitum faciat. Luminaria · ad singulos psalmos · exstinguantur. Similiter **174'** ad laudes matutinales, Deus, in adiutórium meum non dicatur, sed antiphona tantum. Et super psalmos exstinguantur candelæ, ut supra; ante *Benedictus* non dicatur capitulum, sed versus: *Christus factus est pro nobis*, finitoque *Benedictus* cum antiphona, dicant pueri alta voce: *Kýrie, eléison. Christe, eléison*, respondeant alii: *Dómine, miserére nobis*. Duo autem dicant hos versus: *Iesu Christe*. Chorus: *Christus Dóminus*; finitis his, fiat processio. Redeuntes autem in choro, prosternat se unusquisque in terra, et sub silentio dicat: Pater noster, et orationem: Réspice, Dómine, super [hanc] familiam tuam. Et, facto signo a priore, omnes pariter surgant, sicque finiantur · matutinæ. Ad primam non dicatur: Deus, in adiutórium meum, sed tantum psalmi sine Glória: *Deus, in nómine tuo. Beáti immaculáti. Retribue. Laudáte Dóminum, omnes gentes*. Sub silentio autem, prosternens se in terra, unusquisque dicat: Pater noster, et orationem: Réspice, Dómine, super hanc. Similiter «eodem»³ tertia, sexta, et nona finiatur.

¹ *Add. m. 1. rubro*

² *Add. m. 1.*

³ *Orig. del.*

ORDO IN DIE PARASCEVEN

2. In Parasce ·⁴ hora sexta conveniant omnes ecclesiastici in ecclesiam, necnon [præparent, ut]⁵ mos est, salutiferam **174'**⁶ crucem. Et præparent se presbyteri · et ceteri,⁷ quantum sit opus ad ministrandum domino pontifici, ad missam · cum cantoribus et reliquis ministris, vestibus induti, mittaturque parvum linteum super altare nudum desub evangelio. Ante evangelium vero · non portentur candelæ · vel incensum. Et, ut venerit presbyter · vel pontifex · ante altare, dicat: Orémus.

Deus, a quo et Iudas reátus sui pœnam, et confessiónis suæ latro præmium sumpsit.

3. Tunc legitur lectio:

In tribulatióne.

⁴ *Malim Parasceven*

⁵ *Add. m. 2. nigro in rasura longiore*

⁶ *Rasura*

⁷ *Rasura*

4. Sequitur tractus:

Dómine, audívi cum quinque versibus.

5. Item alia oratio, diacono pronuntiante: Flectámus génua, postea: Leváte.

Deus, qui peccáti véteris hereditárium mortem, in qua posteritátis genus omne succésserat.

6. Postea legatur lectio:

Dixit Dóminus ad Móysen et Aaron: Mensis iste princípium ménsium vobis.

7. Sequitur tractus:

Eripe me, Dómine, ab hómine malo.

8. Deinde legatur evangelium, ubi non dicitur: Dóminus vobíscum, sed tantum:

Pássio Dómini nostri, Iesu Christi. In illo témpore. **175¹** Egréssus Iesus trans torréntem Cedron.

9. Nec incensum ibi portetur; evangelium dum legitur, et pervenitur usque: Diviserunt sibi vestiménta mea, tollatur linteum de altari. Evangelio finito, vadat pontifex · aut presbyter · et diaconus cum eo, et det orationes, sicut in libro sacramentorum continetur:¹

Orémus, dilectíssimi, nobis, pro Ecclésia sancta Dei.

10. Post has orationes sternantur tapetia,² ad adorandam crucem. Deinde præparetur crux ad portandum ante altare; qui incipiant ab oriente hos versus, canentes duo presbyteri, veniant:³

Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Duo clerici: Hágios ho Theós, hágios ischyrós, hágios athánatos: eléison hymás. Chorus: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis: miserére nobis.

Quia edúxi te per desértum quadragínta annis, et manna cibávi te, et introduxi te in terram satis óptimam, parásti crucem Salvatóri tuo? Hágios ho Theos. Sanctus Deus.

*Quid ultra débui fácere tibi, et non feci? Ego quidem plantávi te, víneam meam speciosíssimam, et tu facta es mihi nimis amára, acéto **175¹** namque mixto cum felle sitim meam potásti, et lancea perforásti latus Salvatóri tuo. Hágios.*

11. Deinde pontifex, accipiens casulam, incipiat alta voce:

Ecce, lignum Crucis, in quo salus mundi pepéndit: veníte, adorémus. Versus: Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. Beáti, qui scrutántur testimónia eius. Non enim, qui operántur. Tu mandásti, mandáta tua. Utinam dirigántur. Tunc non confúndar. Confitébor tibi in directióne. Iustificatiónes tuas. Ecce lignum.

¹ Rasura vel spatium vacuum una linea longius

² Ms. tapæcia, corr. m. 1. vel 2. de tapatia

³ Add. m. 2. in rasura

Dum fabricator mundi mortis supplicium pateretur in Cruce, clamans voce magna, tradidit spiritum, et ecce, velum templi scissum est, monumenta aperta sunt, terre motus enim factus est magnus, quia mortem Filii Dei clamabat mundus se sustinere non posse. Aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exiit sanguis et aqua in redemptione salutis nostrae. [V.] O, admirabile pretium: cuius pondere captivitas redempta est mundi, Tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis ianua regni!

12. [Versus:]

1. *Cruce fidelis, inter omnes
arbor una nobilis:
nulla silva talem profert
fronde, flore, germine,
dulce lignum, dulces clavos,
dulce pondus sustinet.*

2. *Pange, lingua, gloriosi
prelium certaminis,
et super Crucis trophaeum
dic triumphumobilem,
qualiter Redemptor orbis,
immolatus, vicerit. **Cruce fidelis. 1761***

3. *De parentis protoplasti
fraude factor condolens,
quando pomi noxialis
morsu in mortem corruit,
ipse lignum tunc notavit,
damna ligni ut solveret. **Dulce lignum.***

4. *Hoc opus nostrae salutis
ordo depoposcerat,
multiformis proditoris
ars ut artem falleret,
et medelam ferret inde,
hostis unde laserat. **Cruce fidelis.***

5. *Quando venit ergo sacri
plenitudo temporis,
missus est ab arce Patris,
natus, orbis conditor,
atque ventre virginali,
caro factus, pradiit.*

7. *Lustris sex qui iam peractis,
tempus implens corporis,
se volente, natus ad hoc,
passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur
immolandus stipite. **Dulce lignum.***

8. *Hic aceto,¹ fel, harundo,
sputa, clavis, lancea,
mite corpus perforatur,
sanguis, unda profluit,
terra, pontus, astra, mundus
quo lavantur flumine. **Cruce.***

9. *Flecte ramos, arbor alta,
tensa laxa viscera,
et rigor lentescat ille,
quem dedit nativitas,
ut superni membra regis
miti tendas stipite.*

10. *Sola digna tu fuisti
ferre pretium saeculi
atque portum praeparare,
nauta, mundo naufrago,
quem sacer cruor perunxit,
fusus Agni corpore.*

11. *Glória et honor Deo
usquequo Altissimo,
una Patri Filioque,
inclyto Paraclito,
cuius honor et potestas
per aeterna saecula.*

¹ *Intellige acetum*

6. *Vagit infans, inter arta
cõditus præsepia,
membra, pannis involuta,
virgo mater alligat,
et pedes manusque crura
stricta cingit fascia. Crux fidelis.*

12. *Glória atérno Patri
pro salute pósita,
glória Unico eius,
qui creávit ómnia,
Spirítui [quo]que Sancto
in sempitérna sæcula. Amen. 1761.*

Prótege, Dómine, plebem tuam per signum sanctæ Crucis ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium.

13. *Oratio ad crucem adorandam:*

DÓMINE, Iesu Christe, Deus verus de Deo vero, qui pro redemptione géneris humani serpentina suasionem decépti · mundum erroribus implicatum · illuminare · et Crucis patibulum subire voluisti, ut lignum ligno vinceres, et peccati hereditariam mortem morte potentissima superares: exaudi me, miserum, et indignum, prostratum ante oculos tuæ benignissimæ maiestatis, et adorantem te, et benedicentem nomen tuum sanctum atque terribile. Et concede mihi, misero te puro corde sapere, te laudare, te predicare, et per vexillum istius sanctæ crucis, quam hodie in tuo nomine adoraturus advēni, mentem meam corpusque sanctifica, scuto fidei tuæ me circumtege, galeam salutis mihi impone, gladio spiritali accinge, ut contra hostem nequissimum · bellaturus, et tuæ miserationis muniar auxilio, et salutiferæ Crucis vexillo tuoque sancto nomine insignitus, ab hostis perfidi sim incursione securus. Per.

14. *[Alia oratio:]*

DEUS, qui Móysi, famulo tuo in via squalentis 1771 eremi serpentem æneum in média populi multitudinem, ad liberandas letali veneno infectas animas, exaltari iussisti, ut, si quis mortifero vulnere inflicto · ad eum respiceret, et venenum exitiale evaderet, et optatæ salutis vitam adipisceretur, significans te ipsum futurum post temporum [currícula] pro tui salute plasmatis Crucis extollendum patibulo, ut, quos diabolus armis invidiæ captivaverat, tua desiderabilis passio ad patriam revocaret: concede mihi, misero · et peccatori, et omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem tuam supplices venerantur, lignumque vitæ adorant, ut diaboli insidias, te adiuvante, vincamus, et æternæ vitæ participes [esse] mereamur. Per.

15. *Alia oratio:*

DÓMINE, Iesu Christe, qui nos per Crucis passionem hodierna die a diabólica servitute liberasti, ut quo die hominem condideras, eodem die et reformares: exaudi me, miserum et peccatorem, coram hoc signaculo Crucis confitentem, et deprecantem, ut huius venerabilis et vitalis signi tuitione munitus, et hostis nequissimi ignita tela repellerere, et ab inflicto evacuari vulneribus, et ad vitam æternam valeam pervenire. Per. Qui cum Patre.

16. *Salutata autem cruce tam a sacerdote · seu antistite, quam et a ceteris, veniat sacerdos · sive episcopus, festivis indutus ornamentis ante sanctum altare, et expectet ibi, quousque corpus Domini ab ar-*

chidiacono deferatur sibi. Archidiaconus autem · et cum eo duo vel tres clerici vadant ad locum, ubi pridie corpus Domini servabant. Et inde sublatum, cum magna reverentia tollant, sacerdotique ad altare deferant, cantantes hos versus:¹

1. *Laudes omnipotens fērimus tibi, dona colētes
cōporis immēsi sāguinis atque tui.*
2. *Pāngimus, ecce, tuam, rector sanctissime, mensam,
tu, licet indignis, propitiāre tuis. Laudes.*
3. *Angelus aethereis sanctus descēdat ab astris,
purificans corpus cor paritēque pius.² Laudes.*
4. *Hac medicīna potens cæli nos ducat in arces,
intērea terris dans medicāmen opis. Laudes.*
5. *Hoc Pater omnipotens cum Christo pērfice clemens,
Spīritus atque potens, trinus et unus apex.*

17. Versibus finitis, extendat archidiaconus corporale super nudum altare, procedensque episcopus ante altare, faciat communem confessionem. Et, osculato altari, corpus **178'** Domini · et calicem sine sacramento vino et aqua mixto · de manu archidiaconi accipiens, canente ipso communionem:

Hoc corpus, quod pro vobis tradetur: hic calix novi testamēti est in meo sāguine, dicit Dōminus; hoc fācite, quotienscūmq; sūmitis in meam commemoratiōnem.

18. Et, hoc dicto, super altare sacerdos ponens calicem, ordinansque oblatas, humillime dicat hanc orationem:

Sūscipe, sancta Trīnitas, hanc oblatiōnem, quam tibi offero [ob] memōriam passiōnis Dōmini nostri, Iesu Christi, et ōmnium sanctōrum.

19. Hac finita, dicat lenta voce:

Orēmus. Præceptis salutāribus mōniti, et divīna institutiōne formāti. Pater noster. Sed libera nos.

20. Ita per ordinem, usque: Per ōnia sæcula sæculōrum. Et respondeant omnes: Amen. Et nec Pax Dōmini, neque Agnus Dei dicatur, neque osculum detur, sed, communicantes singuli, in sua redeant loca. Vesperaue cantetur privatim, hoc modo:

*[Confitebor.
Dōmine, probāsti.
Eripe me.
Dōmine, clamāvi.
Voce mea.*

¹ *Litteræ initiales sequentis hymni, rubro inscribende, omissæ erant prius, suppletæ sunt tamen a m. 2.*

² *Malim pium vel piis*

Et *Magnificat.*]¹

21. Et sub silentio: Pater noster. Oratio:

Réspice, quæsumus, Dómine, super.

22. Deinde, ostiis ecclesiæ diligenter seratis, omnibus laicis et feminis exclusis, presbyteri, diaconi, subdiaconi, et acolythi · cum candelis et **178'** incenso pergant illuc, ubi post salutationem crucem reposerunt, et, inde levantes eam, portent ante altare sanctæ Crucis, ubi antea adoraverunt eam. Ibiq̄ super scamnum² ponatur, turificetur, et diligenter linteamine · et desuper pallio cooperiatur. Sed interim, dum crucem levant, et de loco ad locum portant, ista responsoria silenter decantentur:

R. *Ecce, vidimus eum.*

R. *Ierúsalem, luge.*

R. *Plange, quasi virgo.*

R. *Recéssit pastor noster.*

R. *Ecce, quómodo móritur iustus.*

23. Novissime · corpus Domini in unam valde mundam buxidem³ mittatur, sigilloque vel clave ecclesiæ sigilletur, atque subtus linteamen et pallium ad pectus sanctæ crucis collocetur, et hæc antiphonæ decantentur:

Sepúlto Dómino, signátum est monuméntum.

In pace in idípsum dórmiam.

Caro mea requiécet in spe.

24. His ita peractis, et custodibus ordinatis, qui hoc sacratissimum corpus dominicum custodiant, in psalmis · et ceteris orationibus, ipse clerus, antequam redeat, flexis genibus, hanc orationem dicat:

*Adorámus te, Christe, [et] benedicimus tibi, quia per **179'** Crucem tuam redemísti mundum. V. Omnis terra adóret te, Deus.*

25. Oratio:

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam.

¹ *Add. m. 2. in loco vacuo, et Magnificat in margine*

² *Corr. m. 2. de scamna*

³ *Intellige pyxidem*

XIII. Ordo in vigilia Sabbati

1. In nocte sabbati · temporarie ligneum sonetur signum, collectis omnibus in ecclesiam; nec dicatur: Deus, in adiutórium meum, nec *Veníte*, sed antiphona: *In pace in idípsum*. Ad psalmum non dicatur: Glória Patri; versus dicatur pleniter, non subtrahendo finem. Lectiones legantur de Lamentationibus Ieremiæ prophetæ ab eo loco, ubi ait: Quómodo obscurátum est aurum, et tres de tractatu sancti Au-

gustini de psalmo sexagesimo quarto:¹ Accédet homo, tresque de Apostolo, ubi ait: Christus assístens pónitífex futurórum bonórum. Lector benedictionem non petat, nec finem solitum faciat, sed de ipsa lectione finem faciat. Lumina ad² singulos psalmos exstinguantur. Similiter ad laudes matutinas Deus, [in] adiutórium meum non dicatur, sed antiphona tantum, et super psalmum exstinguantur candelæ, ut supra. Ante *Benedíctus* non dicatur capitulum, sed³ versus: *Christus factus est pro nobis obædiens*. Finitoque *Benedíctus* cum antiphona, **179'** dicant pueri alta voce: *Kýrie, eléison. Christe, eléison*. Respondent alii: *Dómine, miserére nobis*. Duo autem dicant hos versus: *Iesu Christe*. Chorus: *Christus Dóminus*. Finitis his, fiat processio. Redeuntes autem in chorum, prosternat (se unusquisque), et sub silentio dicat: Pater noster, et orationem: Réspice, quæsumus, Dómine. Et, facto signo a priore, omnes pariter surgant, sicque finiant matutinas. Ad primam non dicatur Deus, in adiutórium, sed tantum psalmi sine Glória: *Deus, in nómine tuo. Beati immaculáti. Retribue servo tuo. Laudáte Dóminum*. Sub silentio autem, prosternens se unusquisque, dicat: Pater noster. Oratio: Réspice, quæsumus, Dómine. Similiter eodem die tertiam, sextam et nonam finiamus.

¹ *Add. m. 1. rubro -to super IIII*

² *Add. m. 1. rubro*

³ *Add. m. 1. rubro*

SABBATI DIE

2. Ornetur ecclesia omnibus ornamentis et utensilibus suis; hora septima conveniat omnis clerus in ecclesiam, et paret se vestimentis sollempnibus: diaconi dalmaticis, subdiaconi laneis aut sericis albis; paratisque omnibus, exspectent iussum pontificis in ordine suo in choro. Cum autem pontifex fuerit paratus in sacrario, veniat clerus obviam sibi cum aqua benedicta et turibus et candelabris · sine igne, et plenario. [Per]gens⁴ pontifex, **180'** eat cum plena processione et cruci[bu]s,⁵ cantando graduum psalmos, ubi fuerit ignis paratus ad benedicendum.

3. [Oratio:]

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: in nómine tuo, et Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi, et Spíritus Sancti · benedícimus hunc ignem cum cera · [et] ómnibus eius alimóniis; sanctificámus, et signo Crucis Christi, Fílii tui vivi altíssimi sign<...>ámus,⁶ ut, intus vel foris accénsus, quod [nocet], non incéndat, sed ad ómnia hóminum necessária caléscat sive illúminet, et, quæ ex hoc igne fúerint confláta vel calefácta, sint benedícta · et omni humánæ salúti utilia, ut non cum Dathan et Abyron, ignem tibi offeréntibus aliénium, incendámur, sed cum Aaron pontífice et fíliis eius, Eleázaro et Ithámaro · hóstias tibi pacíficas, Spíritus Sancti igne assátas, immoláre valeámus, et semper eiúsdem Spíritus Sancti igne vítia nostra ure, córdaque luce sciéntiæ tuæ illúmina, et ánimas nostras calóre fídei clarífica. Per.

⁴ *Add. m. 2. nigro*

⁵ *Add. m. 1.*

⁶ *Rasura*

4. Alia:

OMNÍPOTENS Deus, mundi cónditor, lúminis siderúmque fabricátor, per cuius ineffábilem poténtiam omnis cláritas sumpsit exórdium: te **/80'** in tuis opéribus invocámus; áperi, quæsumus, lábia nostra ad confiténdum nómini tuo et ad laudem glóriæ tuæ, ut digne celebráre mereámur sacrum offíciū tuum, quia hac sacratíssima noctis vigília de donis tuis céreum tuæ suppliciter offérimus maiestáti. Véniat ergo, Dómine, super hoc incénsus larga tuæ benedictiónis infúsiō, et hunc noctúrnum splendórem invisibilis regnátor inténde, ut non solum sacrificium, quod in hac nocte litátum est, archána tui lúminis admixtióne refúlgeat, sed, in quocúmque loco ex eo deportátum fúerit, expúlso diabólicæ fraudis nequítia, virtus tuæ maiestátis assístat. Per.

5. Alia:

DEUS, qui Fílium tuum, angulárem scílicet lápidem caritátis ignem fidélibus contulísti: prodúctum e sílice, nostris profutúrum úsibus novum ignem sanctífica, et concéde nobis ita per hæc festa paschália cælestibus desidériis inflammári, ut ad perpétua festa, purgátis méntibus, pertíngere valeámus. Per.

6. [Alia:]

DÓMINE, Deus noster, Pater omnípotens, exáudi nos, lumen indeficiens, tu, sancte cónditor ómnium lúminum: **/81'** benedic, quæsumus, hoc lumen, quod a te sanctificátum atque benedíctum est, qui illúminas omnem mundum, ut ab eo lúmine incendámur · et illuminémur, scílicet igne caritátis ánimæ, qui² Móysen illuminásti, et hoc lumen tríbue córdibus nostris et sénsibus nostris, ut ad vitam ætérnam perveníre mereámur. Per.

7. Redeuntes vero in ecclesiam, incipiat cantor hos versus:

<i>1. Invéntor rútili,</i>	<i>dux bone, lúmine,³</i>	<i>4. Linguis quos ólei</i>	<i>rore madéntibus,</i>
<i>qui certis vícibus</i>	<i>témpora dívidis,</i>	<i>lýchnis ac fácibus</i>	<i>páscimus áridis,</i>
<i>merso sole, chaos</i>	<i>íngruit hórridum:</i>	<i>quin et fila favis</i>	<i>scripta⁴ flóreis,</i>
<i>lucem redde tuis,</i>	<i>Christe, fidélibus.</i>	<i>presso melle prius</i>	<i>cóllita, fíngimus.</i>

¹ Incipitur nova quaternio, cuius pagina prima valde contrita est.

² Malim quo

³ Malim lúminis

⁴ AH scírpea

2. *Quamvis innúmero sídere régiam
lunaríque polum lámpade pínxeris,
incússó sílice, lúmina nos tamen
nostras¹ saxígeno sémine quærere.*

3. *Ne nescíret homo spem sibi lúminis
in Christo sólido corpore cónditam,
qui dici stáblem se vóluit petram,
nostris ignículis unde genus venit.*

5. *Vivax flamma viget, seu cava téstula
secum lintéolo súgerit ébrio,
seu pinus píceam fert alimóniam,
seu ceram téretem stuppa calens bibit.*

6. *O, res digna, Deus, quam tibi róscitæ
noctis princípío rex tuus offerat,
lucem, quam **181'** tribuis, nil pretiósius,
luce, quam réliqua præmia cernimus!*

8. *Finitis versibus, veniat archidiaconus ante altare, et incipiat cereum benedicere · hoc modo. Interim benedicatur incensum. Benedictio:*

VÉNIAT, omnípotens Deus, super hunc² incensum larga tuæ pietátis infúsió, et hunc noctúrnum splendórem, invisíbilis regnátor, inténde, ut non solum sacrificium, quod in hac nocte litátum est, archána lúminis tui admixtióne refúlgeat, sed, quocúmque loco ex huius áliquíd sanctificatiónis fúerit mystério deportátum, expúlssa diabólicæ fraudis nequítia, virtus tuæ maiestátis assístat. Per.

¹ AH monstras

² Malim hoc

ITEM, QUOCUMQUE TEMPORE BENEDICTIO INCENSI SACRIFICII

9. [Oratio:]

DEUS omnípotens, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: immítte in hanc creatúram incénsi vim odóris tui et virtútem, ut sit servis tuis vel ancíllis tuis muniméntum · tuteláque defensiónis, nec intret hostis in víscera eórum, aditúmque et sedem habére non possit. Per te, Christe.

10. Alia:

DEUS, qui Móysi, fámulo tuo per Spíritum Sanctum reveláre dignátus es, quæ ad cultum sanctuárii necessária decr[e]vísti, ex quibus thymiáma **182'** boni odóris ad opus Ecclésiæ tuæ ob causam religiónis iúgiter permanére iussísti, ut, mýstica nobis significatióne spirituálium virtútum flagrans, osténderet odórem suavitátis. Tu ergo, quæsumus, omnípotens Deus, imménsæ maiestátis dextera hanc creatúram benedicere, ex diversárum rerum commixtióne inféctam, dignáre, ut virtúte sancti nóminis tui omnes immundórum spirítuum phantasmáticos incúrsus effugáre · omnesque morbos, réddita sanitáte, expéllere, ubicúmque fumus arómatum eius effláverit, mirábiliter possit, atque in odóre flagrantíssimo · tibi perpétua redóleat suavitáte. Per.

11. [Alia:]

DÓMINE, Deus omnípotens, cui astat exércitus angelórum: dignáre respícere et benedícere hanc creatúram incénsi, ut omnis languórum dæmonúmque insídiæ, odórem ipsíus sentiéntes, fúgiant et séparent a plásmate tuo, quod Fílii tui pretióso sángine redemísti, ut numquam lædántur a morsu serpéntis antíqui. Per. **/82'/**

12. [Benedictio cerei:]

EXSÚLTET iam angélica turba cælórum, exsúltent divína mystéria, et pro tanti regis victória, tuba ínsonet salutáris. Gáudeat se tantis tellus irradiáta fulgóribus, et ætéрни regis splendóre illustráta: totíus orbis se séntiat amisísse calígine. Lætétur et mater Ecclésia, tanti lúminis adornáta fulgóribus, et magnis populórum vóciibus hæc aula resúltet. Quaprópter astántes vos, fratres caríssimi, ad tam miram sancti huius lúminis claritátem, una mecum, quæso, omnípoténtis Dei misericórdiam invocáte, ut, qui me non meis méritis intra levitárum númerum dignátus est aggregáre, lúminis sui grátiam infundéndo, cérei huius laudem implére præcípiat. Per Dóminum nostrum, Iesum Christum, Fílium tuum, qui cum Deo Patre et Spírítu Sancto vivit et regnat, Deus.

13. *Præfatio:* Per ómnia sæcula sæculórum. Amen. Dóminus vobíscum. Sursum corda. Grátias agámus Dómino, Deo nostro.

Uet iustum est. Invisíbile[m] Deum Patrem omnípoténtem, Filiúmque eius Unigénitum, Dóminum nostrum, **/83'/** Iesum Christum · toto cordis, ac mentis afféctu, et vocis ministério personáre. Qui pro nobis ætéрно Patri Adæ débítum solvit, et véteris piáculi cautióne · pio cruóre detérsit. Hæc sunt enim festa paschália, in quibus verus¹ ille Agnus occíditur, eiúsque sángine postes consecrántur. Hæc nox est, in qua primum patres nostros, fílios Israel, Dómine, eduxísti de Ægýpto, quos póstea Rubrum mare sicco vestígio transíre fecísti. Hæc ígitur nox est, quæ peccatórum ténebras · colúmnæ illuminatióne purgávit. Hæc nox est, quæ hódie per univérsum mundum in Christo credéntes, a vítiis sæculi et calígine peccatórum segregátos, reddit grátia, sociátque sanctitati. Hæc nox est, in qua, destrúctis vínculis mortis, Christus ab ínferis victor ascéndit. Nihil enim nobis nasci prófuit, nisi rédimi prófúisset. O, mira circa nos · tuæ pietátis dignátio! O, inæstimábilis diléctio caritátis, ut servum redímeres, Fílium tradidísti! O, beáta nox, quæ sola méruit scire tempus et horam, in qua Christus ab ínferis resurréxit! Hæc nox est, de qua scriptum est: Et nox, ut **/83'/** dies, illuminábitur, et nox illuminatió mea in delíciis meis. Huius ígitur sanctificatió noctis · fugat scélera, culpas lavat, et reddit innocéntiam lapsis, et mæstis lætítiam; fugat ódia, concórdiam parat, et curvat impéria. In huius ígitur noctis grátia, súscipe, sancte Pater, incénsi huius sacrificium vespertínum, quod tibi in hac cerei oblatiõe sollémni · per ministrórum manus de opéribus apum · sacrosáncta reddit

¹ *Corr. m. 1. de vers, delendo s et addendo us*

Ecclésia. Sed iam colúm̄inæ¹ huius præcónia nóvimus, quam in honórem Dei rútilans ignis accéndit. Qui, licet sit divísus in partes, mutuáti lúminis detriménta non novit. Alitur liquéntibus cer̄eis,² quas in substántia pretiósæ lámpadis huius apis³ mater edúxit. O, vere beáta nox, quæ exspoliávit Ægýptios, ditávit Hebræos! Nox, in qua terrénis, cæléstia iungúntur! Orámus ergo te, Dómine, ut céreus iste, in honórem nóminis tui consecrátus, ad noctis huius caliginem destruéndam, indeficiens persevéret. In odórem suavitátis accéptus, supérnis lumináribus misceátur. Flammæ eius · lú-cifer matutínus invéniat. Ille, inquam, lú-cifer, qui nescit occásus. Ille, qui, regréssus ab ín/84/feris, humano géneri serénus illúxit. Precámur ergo te, Dómine, ut nos, fámulos tuos, omnem sc̄elerum,⁴ et devotíssimum pópulum, una cum papa nostro, illo, et antístite nostro Chartvírgo,⁵ et gloriosíssimo rege nostro, illo, témporum quiéte concéssa, in his paschálibus festis conserváre dignéris. Per eúndem.

14. Hoc expleto, per universas domos monasticarum exstinguantur ignes, et incendatur de novo et benedicto igne. Deinde sacerdos in cappa dicat: Orémus. Flectámus gēna non dicatur, sed collecta tantum:

Deus, qui divítias.

Lector non pronuntiet: Lécio libri Génesis, **sed:** In princípio creávit Deus cælum et terram. [Oratio:] Deus, qui mirabíliter.

Lectio: Factum est in vigília.

Tractus: *Cantémus Dómino.*

Oratio: Deus, cuius antíqua mirácula.

Lectio: Apprehéndent septem mulíeres.

Tractus: *Vínea facta est.*

Oratio: Deus, qui in ómnibus Ecclésiæ tuæ fíliis.

Lectio: Scripsit Móyses cánticum.

Tractus: *Atténde cælum.*

Lectio: Hæc est heréditas servórum.

Tractus: *Sicut cervus.*

Oratio: Omnípotens, sempitérne Deus: réspice ad devotióne propítius.

15. Interim autem, dum lectiones leguntur, presbyteri catechizent infantes.

¹ *Orig. del. (?)*

² *Orig. del.*

³ *Corr. m. 1. de apes (?)*

⁴ *Corr. m. 1.*

⁵ *Nomen orig. chart virgo una cum neumatibus lineæ inferioris (id est iam post notationem) delita est dextrorsum et parum desursum, ut videtur, digito sputo vel aqua humido.*

ORDO /84'/ BAPTISTERII

16. Primo omnium abrenuntiatio facienda est · secundum Niceti episcopi testimonium · in libro quinto ad competentes: Non enim ante ad confessionem venit, nisi prius diabolo fuerit · renuntiatum. Tunc fiant scrutinia, ut experiatur sæpius, quam firmiter post renuntiationem Satanæ facta verba¹ data fidei radicibus² corde defecerit.

17. Itaque presbyter, vocato nomine infantis, dicat: Abrenúntias Sátanæ?

Respondet: Abrenúntio.

Interrogatio: Et ómnibus opéribus eius?

Respondet: Abrenúntio.

Interrogatio: Et ómnibus pompis eius?

Respondet: Abrenúntio.

18. Item, interrogatio credulitatis: Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Respondet: Credo.

Interrogatio: Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum et passum?

Respondet: Credo.

Interrogatio: Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, sanctorum communióem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam ætérnam post mortem?

Respondet: Credo.

19. Deinde exsufflet in faciem eius tribus, vicibus,³ dicens:

Exi, Sátana, /85'/⁴ redde honórem Deo vivo et vero, redde honórem Iesu Christo, Fílio eius, et Spíritui Paráclito.

20. Deinde faciat crucem in fronte sua, dicens:

Signum sanctæ Crucis Dómini nostri, Iesu Christi · in frontem tuam pono.

21. Et in pectore similiter, dicens:

Signum Salvatoris Dómini nostri, Iesu Christi in pectus tuum pono.

¹ Mutatio ordinis verborum litteris a m. 1. suprapositis a–b indicata: verba facta

² Malim radicitus

³ Rasura

⁴ Add. m. 3E in summa pagina Ac- (ut puto, initium formulæ Accipe signum sanctæ Crucis, quæ tamen commodius erat collocanda in ima pagina, vide infra)

22. Postea dicat hanc orationem:¹

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri, Iesu Christi: respícere dignéris super hunc fámulum tuum, quem ad rudiménta fídei vocáre dignátus es; omnem cæcitatém cordis ab eo expélle, di~~s~~rúmpe² omnes láqueos Sátanæ, quibus fúerat colligátus. Aperi ei, Dómine, iánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútu, ómnium cupiditátum fo~~e~~tóribus³ cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus tibi in Ecclésia tua desérviat, et proficiat de die in diem, ut idóneus efficiátur accédere ad grátiam baptísmi tui, percépta medicína, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi, qui ventúrus est iudicáre.

23. Alia oratio:

DEUS, qui humáni géneris ita es cónditor, ut sis étiam reformátor: propitiáre pópulis adoptívis, et novo testaménto sóbolem novæ prolis ad~~85~~/scríbe, ut fílii promissiónis, quod non potuérunt ásequi per natúram, gáudeant se recepísse per grátiam. Per.

24. [Alia oratio:]

PRECES nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi, et hunc eléctum tuum Crucis domínicæ, cuius impressiónem eum signámus, virtúte custódi, ut magnitudinis tuæ glóriæ rudiménta servans, per mandatórum tuórum custódiám · ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per.

25. Benedictio salis ad catechumenum:

EXORCÍZO te, creatúra salis, in nómine Dei Patris omnipoténtis, et in caritaté Dómini nostri, Iesu Christi, et in virtúte Spíritus Sancti. Exorcízo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelám humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitatém per servos suos · consecrári præcepit. — Proínde rogámus te, Dómine, Deus noster, ut hæc creatúra salis in nómine sanctæ Trinitátis efficiátur salutáre sacraméntum, quam tu, Dómine, sanctificándo sanctífices, benedicéndo benedícas, fiátque ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi, qui ventúrus est iudicáre.

¹ *Textus orationis per totum insertus est in ima pagina a m. 3E: Accipe signum sanctæ Crucis Dómini nostri, Iesu Christi, tam in fronte, quam in corde; sume fidem cæléstium præceptórum, talis esto móribus, ut templum Dei iam esse possis, ingressúsque ecclésiám Dei, evasísse láqueos mortis lætus agnósce; horrésce ídola, réspue simulácra, cole Deum, Patrem omnipoténtem, et Iesum Christum, Fílium eius, qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat.*

Add. m. 3E in eadem margine Accipe signum Crucis, require infra, in decimo quinto folio.

² *Orig. del.*

³ *Orig. del.*

26. Alia benedictio salis: /86'/

BÉNEDIC, omnipotens Deus, hanc creaturam salis tua benedictione cælesti · in nómine Dómini nostri, Iesu Christi · et in virtúte Spíritus tui, ad effugándum inimicum, quam tu, Dómine, sanctificándo sanctífices, benedicéndo benedícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medicína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine Dómini. Qui ventúrus.

27. Postea vero accipiat de ipso sale, et mittat in os infantis, ita dicens:

Accipe salem sapiéntiæ, propitiátus sit tibi Dóminus in vitam ætérnam. Pax tibi. **R.** Et cum spírítu tuo.

28. Oratio:

DEUS patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis: te súplices exorámus, ut hunc fámulum tuum, **N.** respícere dignéris · propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem non diútius esuríre permíttas, quóminus cibo expleátur cælesti, quátenus sit semper, Dómine, spírítu fervens; perduc eum, Dómine, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna præmia cónsequi mereátur. Per.

29. Iste¹ oratio super masculos dicatur: /86'/

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus,² qui Móysi, fámulo tuo in monte Sínai apparuísti, et filios Israel de terra Ægýpti eduxísti, députans eis ángelum pietátis tuæ, qui custodíret eos die ac nocte: te quæsumus, Dómine, ut mittere dignéris sanctum ángelum tuum, qui simíliter custódiat et hunc fámulum tuum, **N.**, et perdúcat eum ad grátiam baptísmit tui. Per.

30. [Exorcismus:]

ERGO, maledícite díabole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Iesu Christo, Fílio eius, et Spírítui Sancto, et recéde ab hoc fámulo Dei, quia istum sibi Deus et Dóminus noster, Iesus Christus · ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque baptísmatis³ vocáre dignátus est, et hoc signum sanctæ Crucis fronti eius, quod nos damus, **hic faciat signum in fronte eius,** tu, maledícite díabole, numquam áudeas violáre. Per.

31. Oratio super feminas, simili modo crucem in frontibus earum, dicat:

DEUS cæli, Deus terræ, Deus angelórum, Deus archangelórum, Deus prophetárum, Deus apostolórum, /87'/ Deus mártýrum, Deus confessorum, Deus vírginum, Deus ómnium bene vivéntium, Deus, cui omnis lingua confitétur, et omne ge-

¹ *Intellige ista*

² *Add. 4C in margine: Renúntio (?)*

³ *Rasura*

nu fléctitur · cæléstium, terréstrium, et inférnórum: te ínvocho, Dómine, super hanc fámulam tuam, **N.**, ut perdúcere eam · et custodíre dignéris ad grátiam baptísmi tui.

Ergo, maledícte diábole.

32. *Item, super masculos:*

AUDI, maledícte Sátana, adiurátus per nomen ætéрни Dei · et Salvatóris nostri, Fílii eius: cum tua victus invídiá, tremens geménsque discéde; nihil tibi sit commúne cum servo Dei, iam cæléstia cogitánti, renuntiatúro tibi ac sæculo tuo, et beátæ immortalitáti victúro. Da ígitur honórem adveniénti Spirítui Sancto, qui, ex summa cæli arce descéndens, perturbátis fráudibus tuis, divíno fonte purgátum pectus, id est: sanctificátum Deo templum · et hábitum¹ perfíciat, ut, ab ómnibus pénitus nóxiis præteritórum críminum liberátus, servus Dei grátias perénni Deo réferat semper, et benedícat nomen eius in sæcula sæculórum.

Ergo, maledícte diábole.

33. *Oratio:*

DEUS, immortále præsídiu omniu postulántium, liberátio súpplícum, pax rogántium, vita **/87/** credéntium, resurréctio mortuórum: te ínvocho, Dómine, super hunc fámulum tuum, **N.**, qui, baptísmi tui donum petens, ætérná cónsequi grátiam spirituáli regeneratióne désíderat. Accipe eum, Dómine, et, quia dignátus es dícere: petíte, et accipiétis, quærite, et inveniétis, pulsáte, et aperiétur vobis, peténtibus itaque præmium pórrige, et iánuam pande pulsántibus, ut, ætérna cæléstis lavácri benedictiόne consecúta, promíssa tui múnérís regna percípiat. Per.

Ergo, maledícte diábole.

34. *Vel supra feminas oratio:*

DEUS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus, qui tribus Israel monuísti, et Susánnam de falso crímíne liberásti: te supplex déprecor, Dómine, ut líberes et hanc fámulam tuam, **N.**, et perdúcere eam dignéris ad grátiam baptísmi tui.

Ergo, maledícte diábole.

35. *Super masculos:*

EXORCÍZO te, immúnde spíritus, in nómine Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti, ut éxeas et recédas ab hoc fámulo Dei, **N.**, ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti dèxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole.

¹ *Malim* habitáculum

36. Exorcismus feminæ: /88'/

EXORCÍZO te, immúnde spíritus, per Patrem · et Fílium · et Spíritum Sanctum, ut recédas et éxeas ab hac fámula Dei, **N.**, ipse enim tibi ímperat, maledícite damnáte, qui cæco nato óculos apéruit, et quatríduánum suscitávit.

Ergo, maledícite diábole.

37. [Oratio:]

ÆTÉRNAM ac iustíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine, sancte Pater, omnípotens, lúminis auctor et veritátis, super hunc fámulum tuum, **N.**, ut dignéris eum illumináre lúmine intelligétiæ tuæ; munda eum et sanctífica, da ei sciétiám veram, ut dignus efficiátur · accédere ad grátiam baptísmit tui. Téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam, ut aptus sit ad percipiéndam grátiam baptísmit tui.¹

38. Hic diaconus legat evangelium secundum Matthæum:

IN illo témpore. Obláti sunt Dómino Iesu párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Discípuli autem eius · increpábant eos. Iesus autem ait: Sínite párvulos veníre ad me, et nolíte prohibére eos. Tálium est enim · regnum cælórum.²

39. Hic introducatur catechumenus · in ecclesiam, et dicatur ei a sacerdote:

Ingrédere in /88'/ templum Dei · sine impediméto Sátanæ, ut hábeas partem cum Dómino nostro, Iesu Christo in vitam ætérnam. Pax tibi. Sit Dóminus omnípotens tibi defénsor · ab ómnibus inimícis tuis. Amen.

40. Tunc sacerdos ponat manum super caput infantis, silenter cantans symbolum, id est: Credo in Deum, et orationem dominicam; his autem ita lectis, hæc oratio publice dicatur ad catechizandos infantes:

NEC te latet, Sátanas, imminére tibi pœnas, imminére tibi torméta, imminére tibi diem iudícii, diem supplícii sempitérni, qui ventúrus est, velut clíbanus ardens, in quo tibi atque univérsis ángelis tuis ætérnus véniet intéritus; proínde, damnáte atque damnánde: da honórem Deo vivo et vero, da honórem Iesu |³ Christo, Fílio eius, et Spíritui Sancto, in cuius nómine atque virtúte · præcípio tibi, quicúmque es, spíritus immúnde, ut éxeas et recédas ab hoc fámulo Dei, **N.**, quem Dóminus noster, Iesus Christus hódie ad sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque baptísmatis dono vocáre dignátus est, ut fiat eius templum per aquam regeneratiónis in re/89'/missiónem ómnium peccatórum, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus est.

41. Inde tangat aures · et nares de sputo, et dicat ad aurem dextram:

Effeta, quod est adaperíre.

¹ *Add. m. 3E in margine* Hic debet scribi: Effeta, quod est adaperíre.

² *Add. m. 3E in margine* Et cum imposuísset eis manus, ábiit inde. *Post hæc dicat:* Nec te latet, Sátanas, *postea introducatur in ecclesiam.*

³ *Virga forte crucem faciendam indicans*

42. Et postmodum, capiens nares infantium, dicat:

In odórem suavitátis.

43. Deinde, capiens pinnulam¹ auris² sinistrae, dicat:

Tu autem effugáre, diábole, appropinquábit enim iudícium Dei.

44. Postea faciat eum abrenuntiare Satanæ: vocato nomine infantis, et interrogando, dicat: Abrenúntias Sátanæ?

Respondet: Abrenúntio.

45. Et interroget presbyter symbolum, tenentibus ipsis, qui eum suscepturi sunt de fonte baptismatis, ita dicendo: Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Respondet: Credo.

Interrogat: Credis in Iesum Christum, Fílium eius · únicum, Dóminum nostrum, natum et passum?

Credo.

Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, sanctórum communiónem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem, et vitam ætérnam post mortem?

Credo.

46. Subinde tangat ei pectus · de oleo sancto, /89'/ et faciens crucem, dicat:

Effuge, immúnde spíritus: da honórem Deo vivo et vero.

47. Deinde inter scapulas:

Exi, immúnde spíritus, da locum Spíritui Sancto.

48. Postea dicat:

Et ego te líneo óleo salutis · in Christo Iesu, Dómino nostro.

¹ Ms. *pinnulam* (?)

² *Corr. m. 1. de aures*

49. Finitis autem lectionibus sanctissimi diei sabbati, duo acolythi, tenentes ampullas coopertas de chrismate et oleo sancto, et vas aureum vel argenteum, unde mittatur chrisma · in fontem lacrimarum,³ procedant obviam domino pontifici cum crucibus, ampulla chrismatis stante media. Parataque processione, duobus diaconibus cereos ante eum gestantibus, cum omni decore pergat ad fontem, hos versus cantando:

³ *Malim lavacrorum vel lavacri*

*Rex sanctorum angelorum:
totum mundum adiuva.*

Rex sanctorum.

*2. Supplicáte Christo regi,
cætus apostólici,
supplicétque permagnórum
sanguis fusus mártirum. Rex sanctorum.*

*3. Imploráte, confessóres
consonæque vírgines,
quo donétur magnæ nobis
tempus indulgéntiæ. Rex sanctorum. 190'*

*1. Ora primum tu pro nobis,
Virgo, Mater gérmis,
et ministri Patris summi,
órdinis angélici.*

*4. Omnes sancti atque iusti:
nos precámur cernui,
ut purgétur omne crimen
vestro sub orámine. Rex sanctorum.*

*5. Huius, Christe, rector alme,
plebis vota súscipe,
qui plasmásti protoplástum
et genus gignántium. Rex sanctorum.*

50. Finitis versibus, dicat pontifex: Dóminus vobíscum. Et cum spíritu tuo. **Et intret in consecratio-
nem fontis. Incipit benedictio fontis:**

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: adésto magnæ pietátis tuæ mystériis, adésto sa-
craméntis, et, ad recreándos novos pópulos, quos tibi fons baptísmatis párturit,
Spírítum adoptiónis emítte, ut, quod humilitátis nostræ geréndum est mystério, tuo
impleátur efféctu. Per Dóminum.

51. Præfatio: Dóminus vobíscum. Sursum corda. Grátias agámus.

Uet iustum est, æquum et salutáre. Nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus. Qui invisíbili poténtia
sacramentórum tuórum mirabíliter operáris efféctum, et, licet nos tantis mystériis ex-
sequéndis simus indigni, tu tamen, grátia tuæ dona non déserens, étiam ad nostras
preces aures tuæ pietátis inclínas. Deus, cuius Spírítus super aquas inter ipsa mundi
primórdia ferebátur, **190'** ut iam tunc virtútem sanctificatiónis aquárum natúra con-
cíperet; Deus, qui, nocéntis mundi crímina per aquas ábluens, regeneratiónis spéciem
in ipsa dilúvii effusióne signásti, ut uníus eiusdémque eleménti mystério · et finis es-
set vítiis, et orígo virtútibus: réspice, Dómine, in fáciem Ecclésiæ tuæ, et multíplica in
ea regeneratiónes tuas, qui grátia tuæ affluéntis ímpetu lætíficas civitátem tuam, fon-
témque baptísmatis áperi toto orbe terrárum géntibus innovándis, ut tuæ maiestátis
império, sumant Unigéniti tui grátiam de Spírítu Sancto. **Ita aquam tangat manu in mo-
dum crucis, ita dicendo:** Qui¹ hanc aquam, regenerándis homínibus præparátam, arcána
sui lúminis admixtióne fecúndet, ut, sanctificatióne concépta, ab immaculáto divíni
fontis útero, in novam renáta creatúram, progénies cæléstis emérgat. Et, quos aut se-
xus in córpore, aut ætas discérnit in témpore, omnes in unam páriat grátia mater in-
fántiam. Procul ergo hinc, iubén-te te, Dómine, omnis immúndus spírítus **191'** abscé-
dat, procul tota nequítia diabóli[cæ]² fraudis absístat. Nihil hic loci hábeat contráriæ

¹ *Ita aquam ... dicendo: Q- sunt rubro in rasura scripta, sed m. orig.*

² *Corr. m. 1. de diaboli*

virtútis admíxtio, non insidiándo circúmvolet, non laténdo subrípiat, non inficiéndo corrúmpat. *Hic manu tangat aquam, ut supra.* Sit hæc sancta et ínnocens creatúra · líbera ab omni impugnatóris incúrsu · et totíus nequítiae purgáta discéssu. Sit fons vivus, aqua regénerans, unda puríficans, ut omnes hoc lavácro salutífero diluéndi, operánte in eis Spírítu Sancto, perféctæ purgatiónis indulgéntiam consequántur. — Unde benedíco te, creatúra aquæ, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te in princípío verbo separávit ab árida, cuius Spírítus super te ferebátur, qui te de paradíso manáre fecit, *hic aquam in quattuor partes divide ita:* et in quattuor flumínibus totam terram rigáre præcépit. Qui te in desérto amáram, suavitate [í]ndita, fecit esse potábilem, et sitiénti pópulo de petra prodúxit. Benedíco te et per Iesum Christum, Fílium eius únicum, **91'**¹ Dóminum nostrum, qui te in Cana Galilææ signo admirábili suæ poténtiæ convértit in vinum. Qui pédibus super te ambulávit, et a Ioánnē in Iordáne in te baptizátus est. Qui te una cum ságuine de látere suo prodúxit, et discí-pulis suis iússit, ut credétes baptizaréntur in te, dicens: Ite, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spírítus Sancti. *Hic mutet vocem, quasi lectio-nem legens:* Hæc nobis præcépta servántibus, tu, Deus omnípotens, clemens, tu benígnus aspíra, tu has símplices aquas tuo ore benedícito, ut præter naturálem emundati-ónem, quam lavándis possint adhibére corpóribus, sint étiam purificándis méntibus effícaces. Per. *Hic pone ardentem cereum in aqua, et inclina te super fontem, et dic istum versum:* Descéndat in hanc plenitúdinem fontis virtus Spírítus tui. *Post hæc insuffla tribus vicibus in hunc modum: Ψ* Totámque huius aquæ substántiam regenerándi fecúndet efféctu. *Hic sume cereum extra aquam:* Hic ómnium peccatórum má**92'**culæ deleántur, hic natúra ad imáginem tuam cóndita et ad honórem sui reformáta princípíi · cunctis vetustátis squalóribus emundétur, ut omnis homo, hoc sacraméntum regeneratiónis ingrèssus, in veræ innocéntiæ novam infántiam renascátur. Per Dóminum.

52. *Post hæc accipe chrisma, et funde illud in modum crucis, ita dicens «ita»:*

Fecundétur et sanctificétur fons iste per commixtionem huius chrísmatis renascéntibus in vitam ætérrnam.

53.

Infusióne ólei salutáris Dómini nostri, Iesu Christi · fiat hic fons aquæ saliéntis ex eo renascéntibus in vitam ætérrnam.

54. Hoc autem finito, præsententur infantes · secundum ordinem ante sacerdotem, his...que² in brachio tenentibus, qui eos de baptismo suscepturi sunt, et tunc demum sacerdos, singulos infantes specialiter prænominans, interroget, si Satanæ abrenuntiaverint, et symbolum firmiter in Deum habent, his verbis dicens illis:

Abrenúntias Sátanæ?

Compater infantis sic respondet: Abrenúntio.

¹ *Add. m. 4B in summa pagina* Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis

² *Rasura*

Item, sacerdos: Et ómnibus opéribus eius? **/92'/**¹

Abrenúntio.

Et ómnibus pompis eius?

Abrenúntio.

55. Item, sacerdos de credulitate: Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

R. Credo.

Credis et in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum et passum?

R. Credo.

Crédís et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam post mortem?

Credo.

56. Hoc autem ordine sic peracto, presbyter, accipiens infantes a parentibus eorum, sicut² iustum est, et ab eis rogatur sub trina mersione, sanctam Trinitatem implendo, primum masculum, et postmodum feminas, nominando baptizet, et intingat semel, ita dicendo:³

Et ego baptizo te · in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

57. Sed et in modum hoc crucis facere debet. Primum vero in orientalem plagam inferatur infans, pedibus extensis in occidentalem plagam. Secundo in dextram, quod est in australem, tertio in sinistram, hoc est in aquilonem partem. Cum autem infantes elevati fuerint a fonte, sive [...]tur episcopum, sive, præsentem episcopo, presbytero chrismate baptizatos **/93'/ ungere licet, sed, quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem, quod debetur episcopis, sed verticem, dicens:**

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri, Iesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum, **hic presbyter, faciens signum crucis cum chrismate in vertice infantis, et eum nominans, ita dicat: ipse te líniat⁴ chrismate salutis, in Christo Iesu, Dómino nostro.⁵ Pax tibi. Et cum spíritu.**

58. Post hæc, ponens cappam super caput eius, eum nominans, sic dicat:

Accipe vestem cándidam, sanctam · et immaculátam, quam pérferas ante tribúnal Christi.⁶ Pax tibi. Et cum spíritu tuo.

¹ *Add. m. 3E in margine* Deinde líniat infantem inter pectus · et scapulas, dicens: Et ego línio te óleo salutis in Christo Iesu, Dómino nostro, in vitam ætérnam, amen. Credis.

² *Rasura*

³ *Add. m. 3D super litteram -o: N et in margine* Vis baptizári? Volo. Quis vocáris? **N.**

⁴ *Corr. m. 1. de líneat*

⁵ *Add. m. 3E superius* in vitam ætérnam, amen.

⁶ *Add. m. 3E in margine* ut hábeas vitam ætérnam, amen.

59. Deinde det ei lampadem in dextera, dicens:

Accipe lámpadem,¹ quam irreprehensibilem pérferas ante conspéctum Dei. Custódi baptísmum tuum, ut, cum Dóminus ad núptias vénerit, possis ei occurrere óbviám in aula cælésti, ut hábeas vitam ætérrnam, et vivas in sæcula sæculórum. [R.] Amen. Pax tibi. Et cum spírítu tuo.

¹ *Add. m. 3E in margine sanctam*

ORATIO SIMUL ET BENEDICTIO PONTIFICIS AD CONFIRMANDOS PUEROS

60.

Spírítus Sanctus supervéniat in vos, et virtus Altíssimi sine peccáto custódiat vos.
R. Amen.

61. *Oratio:* Dóminus vobíscum.

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es · hos fámulos tuos, *vel* has fámulas tuas, **N.** ex aqua et Spírítu Sancto, quique dedísti eis remissió-nem ómnium peccatórum: emítte in eos septifórmem Spírítum tuum Sanctum Pará-clitum de cælis, Spírítum sapiéntiæ et intelléctus, Spírítum consílii et fortitúdinis, Spírítum sciéntiæ et pietátis; adímple eos Spírítu timóris tui, et consígna eos signo Crucis in vitam ætérrnam propitiátus. Per Dóminum nostrum, Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte eiúsdem Spírítus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. [R.] Amen.

Quid² vocáris?

62. *Respondente patrono, dicat episcopus:*

Confírmo te signo Crucis · et chrísmate salútis · in nómine Patris, et Fílii, et Spírítus Sancti. Amen. Pax tibi. Et cum spírítu tuo.

63. *Confirmatis omnibus, dicat hos versus episcopus:*

*Ecce, sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.
Benedicat vobis Dóminus ex Sion, ut videátis bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ vestræ.
Custódiat vos Dóminus in timóre suo sanctíssimo.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum, amen.
Pax vobíscum. 1941*

² *Malim Quis*

64. [Oratio:]

DEUS, qui apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum, et per eos eorúmque successó-res céteris fidélibus tradéndum esse voluísti: réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta, ut eórum corda, quorum frontes sacro chrísmate delinívimus, et signo Crucis designávimus, eósdem Spíritus Sanctus advéniens templum glóriæ suæ dignánte habitándo perficiat. Per.

65. *Finita oratione, dicat diaconus:* Humiliáte vos ad benedictiónem. Deo grátias. *Confirmatis capita inclinantibus, benedictio sequitur:*

EFFÚNDE, quæsumus, Dómine, super hos fámulos tuos, **N.** cæléstem benedictiónem tuam, quibus per nos, exíguos septifórmem Spíritum Sanctum tuum · trádere voluísti, atque eis grátiam eiúsdem Spíritus Sancti · et dona largíre. [R.] Amen. Ut, qui sunt ex aqua et Spíritu Sancto renáti, fiant eius protectióne munítí. [R.] Amen. Redúndet in eis grátia diffúsa per Spíritum Sanctum, quæ opériet ac súperet omne[m] multitudínem peccatórum. [R.] Amen. Quod ipse præstáre dignétur, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat. [R.] Amen. Benedictio Dei Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti · **194'** descéndat super vos. [R.] Amen. Ite in pace.

66. *His ita peractis, signetur fons clavi ecclesiæ, et revertatur ad chorum processio, versus ita dicendo:*

6. *Mitte Sanctum nunc ambórum
Spíritum Paráclitum
in hanc plebem, quam recénte[m]
fons baptísmi párturit.*

7. *Fac in terra fontis huius
sacrátum mystérium,
qui produxit¹ cum cruóre
sacro Christi córpore.*

8. *Ut lætétur mater sancta,
tota nunc Ecclésia
et² proféctu renascéntis
tantæ multitudinis. Rex sanctórum.*

9. *Præsta Patris atque [Nati]
compar, Sancte Spíritus,
ut te solum semper omni
diligámus témpore. Rex sanctórum.*

67. *Finitis versibus, incipiat cantor: Kýrie, eléison.*

Et pontifex dicat clara voce: Glória in excélsis Deo.

Hoc finito, det orationem, deinde lectio.

Postea: Allelúia, Confitémini Dómino. [Tractus:] Laudáte Dóminum, omnes.

68. *Sequatur et antiphona: Véspere autem sábbati. Ps. Magnificat ánima.*

¹ *Intellige proflúxit*

² *Intellige ex*

69. Dicatur postcommunio · et *Ite, missa est. Hæ duæ orationes dicantur super infantes noviter Christianos · post missam, antequam sumant corpus et sanguinem Domini:*

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui regenerásti fámulum tuum hunc ex aqua · et Spírítu **1957** Sancto, quique dedísti contínuam sanitátem, ad agnoscéndam unitátis tuæ veritátem.¹ Per.

70. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: maiestátem tuam súpplīces deprecámur, ut hunc fámulum tuum · dignéris serénis aspéctibus præsentáre, et, cui donásti sacraméntum baptísmit, longævam tríbuas sanitátem. Per.

71. His sacramento vero Paschæ · sive Pentecosten, quicumque baptizati fuerint, tota ipsa hebdomada · ad missas veniant, et offeratur pro eis a parentibus eorum oblatio, atque communicent, et sollerter procurent, ne lac et aliquem cibum, priusquam communicentur Pane et sanguine Domini, sumant.

¹ *Oratio trunca videtur.*

BENEDICTIO AQUÆ AD ALBAS DEPONENDAS

72. [Oratio:]

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, qui per te redémpti sumus, et per grátiam pietátis tuæ atque per fontem baptísmit renáti: dignáre hanc creatúram a^oquæ cælésti sanctificatióne benedícere, ut, quæ óleo Spírítus Sancti delibútos suscepit abluéndos, omni nequítia diabólicæ cáreat pollutióne^s, et inundátos **1957** sórdibus peccatórum · vésteque immortalitátis indútos · ovíli matris Ecclésiæ perpétuo sóciet, quosque Spírítus Sancti grátia consecrávit, nulla corvíni géneris mácula váleat defœdáre. Per.

73. *Finita oratione, compatres puerorum, albas deponentes, eas aqua sanctificata abluant, hoc modo decantando antiphonam:*

Lavérunt stolas suas, et cándidas eas fecérunt in sánguine Agni.

74. *Hoc enim a vicinis ecclesiæ impleatur · octavo die baptísmit peracto, longinquis autem die tertio.*

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, créator géneris humáni: his fámulis tuis, qui per te redémpti sunt, et per grátiam pietátis tuæ · in fonte aquæ beátæ renáti, dignáre, quæsumus, per signum sanctæ Crucis sobrietátem mentis infúndere, ut, sicut per fontem baptísmit impléti sunt, ita super eos, quos post fontem sacrum abluéndos offerimus, véniat Spírítus Sanctus tuus, qui in fonte baptísmit · et in confessióne nóminis tui · peccáta extínguat. Per.

**INCIPIT ORDO AD SU[CCU]RRENDUM INFIRMUM, VEL BAPTIZANDUM,
QUI PROXIMUS EST MORTI**

75. Sequitur oratio: **/96'**

Omnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri, Iesu Christi: respícere dignáre super hunc fámulum, *ut supra*.

76. Benedictio salis catechumeno dandi, vel exorcismus:

Exorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei Patris, *ut supra*.

Postea mittat de ipso sale in os infantis, et dicat:

Accipe salem sapiéntiæ, propitiátus sit tibi in vitam ætérrnam. Amen.

77. Et mittat eum in ecclesiam, ita dicendo:

Ingrédere in templum Dei, *ut supra*.

78. Sequitur oratio:

Deus patrum nostrórum, Deus, univérsæ cónditor veritátis, *ut supra*,

79. Et, si viderit, quia proximus est morti, dicat[ur] tantum hæc oratio:

Ætérrnam ac iustíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine, sancte Pater, omnípotens, lúminis auctor, *ut supra*.

80. Tunc ponat manum super caput infantis:

Pater noster.

Credo in Deum.

Nec te latet, Sátanas, imminére tibi pœnas, imminére tibi torménta, imminére tibi diem iudícii, *ut supra*.

81. [Oratio:]

MEDÉLAM tuam déprecor, Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérrne Deus, qui súbvenis in perículis, qui témperas flagélla, dum vérberas: te ergo súpplices, **/96'** Dómine, deprecámur, ut hunc fámulum tuum, **N.** éruas ab hac invaletúddine, ut non præváleat ei inimícus usque ad ánimæ tentatióner, sicut in Iob, et términum pone, ne inimícus de ánimá ista sine redemptiáne baptísmatis incípiat triumpháre. Differ, Dómine, éxitum mortis, et spátium vitæ exténde, réleva, quem perdúcas ad grátiam baptísmi tui. Per.

82. Inde tangat eius nares et aures de sputo, et dicat:

Effeta, quod est adaperíre, *ut supra*.

83. Postea vero tangat eius pectus · et inter scapulas de oleo exorcizato, et, vocato nomine eius, dicat:

Abrenúntias Sátanæ?

84. Respondet, *ut supra*. Tunc liniat eum de oleo sancto, et dicat:

Et ego te línio óleo salútis in Christo Iesu, Dómino nostro, *ut supra*.

Item, benedictio fontis ad succurrendum

85. Oratio:

EXÁUDI nos, omnípotens Deus, <ut> et huius aquæ substántiæ immísce virtútem, ut, abluéndus per eam, et sanitátem, simul et vitam mereámur¹ ætérnam. Per.

86. Exorcismus aquæ:

EXORCÍZO te, creatúra aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totíus dulcedínis **197'** creatórem, qui te in princípíio separávit a terra, et, quáttuor flumínibus dívidens, totam terram rigáre præcépit. Adiúro te per Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, ut efficiáris in eo, qui in te baptizándus erit, fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam, regénerans cum Patre et Fílio et Spírítu Sancto. Qui ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. [R.] Amen.

87. [Oratio:]

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, aquárum spirituálium sanctificátor: te suppliciter deprecámur, ut ad hoc ministérium per humilitátis nostræ [obséquiū] respícere dignéris, et super has aquas abluéndis et vivificándis præparátas · ángelum sanctitátis emíttas, quo, peccátis vitæ prióris ablútis, reatúque detérso, purum Sancto Spírítui habitáculum in regeneratióne procúret.

88. [Exorcismus:]

EXORCÍZO te, creatúra aquæ, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi · et in virtúte Sancti Spírítus, si quid phantásma, si quæ virtus inimíci, si quæ incúrsio diáboli: eradicáre et effugáre ab hac creatúra aquæ, ut fiat fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam, et, cum baptizátus fúerit **197'** hic fámulus Dómini, fiat templum Dei vivi · in remissionem ómnium peccatórum, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi.

89. [Oratio:]

¹ *Malim* mereátur

Deus, immortalē præsídium ómnium postulántium, liberátio súpplícum, pax rogántium, vita credéntium, resurréctio mortuórum, *require retro*.

90.

Infusióne ólei salutáris Dómini nostri, Iesu Christi, fiat hic fons aquæ salíentis · ex eo renascéntibus in vitam ætérnam.

91. Tunc sacerdos, infantes prænominans interroget, si Satanæ abrenuntient, et si symbolum firmiter in Deum habent, his verbis dicens illis:¹

Abrenúntias Sátanæ? R. Abrenúntio.

Et ómnibus opéribus eius? R. Ut supra.

Iterum, sacerdos de credulitate: Credis in Deum, ut supra, usque: vitam ætérnam.

Hoc ordine peracto, sacerdos interroget: Vis baptizári? Respondeat: Volo.

Sacerdos: Ego baptízo te in nómine Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti, et hoc in modum crucis · facere debet, ut supra.

92. Sequitur:

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri, Iesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissionem ómnium peccatórum, **198'** *inliniat chrismate verticem infantis, et nominans eum «nominans», ita dicat:* ipse te líniat chrismate salutis · in Christo Iesu, Dómino nostro. Pax tibi. Et cum spíritu tuo.

93. Post hæc, ponens cappam super caput eius, ut supra: Accipe vestem cándidam, ut supra.

Deinde det ei lampadem: Accipe lámpadem, ut supra.

Custódi baptísmum tuum, ut, cum Dóminus ad núptias.

¹ *Ultima duo verba in margine a m. orig. verticaliter*

[RECONCILIATIO REBAPTIZATI AB HÆRETICIS]

94. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui per Unigénitum tuum, Dóminum nostrum, Iesum Christum · ita regenerationis humánium consecrásti mystérium, ut nec in eis, qui fraude diabólicæ malignitátis a baptísmi unitáte descéndunt,² ulla possit renatióne renascénda,³ quia, cum gemínatur a sacrílegis, non virtus ínclytæ consecratiónis exclúditur, sed iniúria fidei sacraméntis manéntibus irrogátur. Ideo cum ad veram matrem Ecclésiam cathólicam, tui múnere aspiratióne respiscéntes, rédeunt, non quod amisérunt, baptísmum recípiunt, sed, quod in se permanénti« fecérunt contumélia, veráces pæniténtiæ satisfacti-

² *Malim* discédunt

³ *Intellige* nulla possit iteratióne rescíndi

óne reparántur. Hinc tuam misericórdiam, Pater sancte, súpplīces exorámus, ut hunc fámulum tuum ad sancta tua, quæ dereliquerat, átria verténtem, in mensæ benignitate suscípias, et piíssima propitiatióne salvífices, ut, qui ruínæ suæ lapsum, anathematizándo nunc Arium, iugi lamentatióne castigat, dignos pæniténtiæ fructus, te miseránte, perficiat. Et, qui tuo respéctu satisfactiōnis sumpsit inítium, tuo múnere de perditiónis se iam séntiat longanimitate regréssum, lóngius enim a te collátæ fidei negatióne, quam óperum pravitate descénditur. Unde quæsumus, ut secúndum multitudinem miseratiónum tuárum immaníssima supplīcii tui remittátur impietas, et aberrántem lóngius ab itínere salutis æternæ · tua dignétur revocáre maiéstas. Nos autem, sicut in exsequéndis mandátis tuis vel mystériis probámur indígni, ita de tua sumus miseratióne certíssimi, et ob hoc non audémus reverténti atque pulsánti reconciliatiónis iá~~1997~~-nuam cláudere, cui ad reverténdum cordis óculos confídimus reveláre, et, licet actiōnis pæniténtia metas témporum præfigurámus, tamen, quia non solum diem mortis, sed et æqualitatem pectoris ignorámus, sic eum ad spem reconciliatiónis admíttimus, ut afféctum iugis pænítudinis non omíttat, sed perénni témpore contínua lamentatióne redivívus et sacramentórum cælestium communióne mereátur esse perpétuus. Per.

95. Oratio:

DEUS, qui hóminem · ad imáginem tuam cónditum · in id réparas, quod creásti: réspice propítius super hunc fámulum tuum, ut,¹ quicquid ignorántiæ ipsíus hærética pravitas irrépsit, indulgéntia tuæ pietátis ignósce, ut, quod in eo diaboli fraude commíssum est, et nequítia Ariánæ perfídiæ nócuít, non ei reputétur ad culpam, sed membrum Ecclésiæ cathólicæ remissiōnis tuæ cleméntia reformétur, ut altáribus sacris, præcépta² veritátis tuæ communióne, reddátur. Per.

96. [Alia oratio:]

DEUS, qui humáni géneris cónditor [es] et redémptor; ~~1997~~ Deus, qui factúram similitúdinis et imáginis tuæ secúndum divítias bonitátis in id réparas, quod creásti: réspice propítius super hunc fámulum tuum, et, quicquid ignorántiæ ipsíus hostilitátis necéssitas inflúxit, indulgéntia tuæ pietátis ignósce, et, cui adhuc intelli-géntia íntegra non súppetit, nihil reputétur ad culpam, sed Ecclésiæ membrum remis-siōnis tuæ benignitate reputétur. Per.

¹ *Malim* et

² *Malim* percépta

[ORDO AD CATECHUMENUM EX PAGANO FACIENDUM]

97. Gentilem hominem cum suscep[er]is, primo catechizas eum divinis sermonibus, et des ei monita, quemadmodum post cognitam veritatem vivere debeat. Post hæc faciens catechumenum, et exsuffles in faciem eius, et facies ei crucem in fronte, et pones ei manu[m] super caput eius:

Accipe signum Crucis tam in fronte, quam in corde, sume fidem cælestium præceptorum, talis esto moribus, ut templum Dei esse iam possis, et, ingressus Ecclesiam Dei, evasisse te láqueos mortis lætus agnósce; horrésce ídola, réspue simulácula, cole Deum, Patrem omnipoténtem, et Iesum Christum, Fílium eius, qui¹ cum Patre et Spírítu Sancto. Per. **/100'/**

[Oratio:] Omnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri.

[Oratio:] Deus, qui humáni géneris ita es cónditor.

[Oratio:] Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi.

[Exorcismus:] Exorcízo te, creatúra salis, in nómine Patris, usque ad perceptionem salis, ut supra.

[Oratio:] Bénedic, Dómine, Deus omnípotens, hanc.

98. [Oratio:]

TE déprecor, Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: ut huic fámulo tuo, qui in huius sæculi nocte vagátur incértus ac dúbius, viam veritátis · et agnitiónis tuæ iúbeas demonstráre, quátenus, referátis² óculis cordis sui, te, unum Deum, Patrem in Fílio · et Fílium in Patre · cum Spírítu Sancto recognóscat, **hic imponatur sal in os eius,**³ atque huius confessiónis fructum · hic et in futúro sæculo · percípere mereátur. Per.

99. Inde vero, postquam gustaverit medicinam salis, et ipse se signaverit, benedicat eum his verbis:

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, qui es, et qui eras, et pérmanes usque in finem, cuius orígo nescítur, nec finis comprehéndi potest: te, Dómine, súplices invocámus · super hunc fámulum tuum, quem liberásti de errore gentílium · et de conversatióne · turpíssima; dignáre eum, Dómine, **/100'/** exaudíre, qui tibi cervíces suas humíliat, et pervénit ad lavácri fontem, ut, renátus ex aqua et Spírítu Sancto, et spoliátus vétérem hómínem, induátur novum, qui secúndum Deum creatus est, accipiátque vestem incorrúptam · et immaculátam, tíbique, Deo nostro, servíre mereátur. Per.

100. Sequitur oratio:

¹ *Rasura*

² *Intellige reserátis*

³ *Corr. m. 1. de psalmo, radendo p et adiiciendo s in fine*

Deus patrum nostrorum.

101. Sicque, ut ordo dat, usque ad finem compleatur.

IN SABBATO SANCTO AD COMPLETORIUM

102. Deus, in adiutorium non dicatur, sed tantum:

Allelúia, allelúia, allelúia. [Ps.] Cum invocárem.

103. Sine Glória, et sine hymno, et sine capitulo, sed tantum antiphona incipiat:

Allelúia, Pascha nostrum Christus est, allelúia, qui a pro nobis oblátus est, allelúia, allelúia. Ps. Nunc dimittis.

104. Preces ne fiant, sed: Dóminus vobíscum, et sequatur oratio:

DEUS, qui hanc sacratíssimam noctem glória domínicae resurrectionis illústras: consérva in nobis adoptiónis Spíritum, quem dedísti, ut, córpore et mente renováti, puram tibi exhibeámus servitútem. Per eúndem Dóminum nostrum, Iesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte eiúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. [R.] Amen.

XIV. [Ordo in die sancto Paschæ, officium sepulcri]

1. Eadem vero nocte, primo diluculo, antequam matutinale /101'/ tangatus¹ signum, a primoribus ecclesie tollenda est crux, quæ in sexta [feria] posita est in sepulcro, cum antiphona leniter cantata:

Ant. Ego dormívi, et somnum cepi, et exsurrexi, quóniam Dóminus suscepit me, allelúia, allelúia.

2. Decantantes vero tertium responsorium,² cum crucibus et cereis · et turibulis et thymiamatibus³ omnes simul perveniant ad sepulcrum. Diacones autem, coibidem habitu sedentes, istum imponant versiculum:

Quem quæritis in sepúlcro, o, Christicolæ?

3. Illi vero, qui turibula:

Iesum Nazarénium crucífixum, o, calícolæ.

¹ *Intellige tangatur*

² *Mutatio ordinis verborum litteris a m. orig. suprapositis a-b indicata de responsorium tertium*

³ *Ms. timiamarus*

4. [Item diaconus:]¹

Non est hic, surrexit, sicut prædixerat: ite, nuntiáte, quia surrexit a mórtuis. Veníte, et [vidéte] locum, ubi pósito erat Dóminus, allelúia, allelúia.

5. Illi autem, tollentes posita linteamina, revertantur ad chorum, istam cantando antiphonam:

Surrexit Dóminus de sepúlcro, qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

*Surrexit enim, sicut dixit, Dóminus, et præcédet vos in Galilæam, allelúia: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia, allelúia. **¶101¶***

6. Deinde incipiat cantor: Te, Deum, laudámus. Finitis ergo matutinæ laudis² cum antiphonis, psalmis; capitulum, neque hymnum³ dicatur, sed tantum:

[Gradale:] *Hæc dies, quam fecit Dóminus. Incipiatur versus: Confitémini Dómino.*

Allelúia, Pascha nostrum immolátus est Christus.

Ad Benedictus antiphona: *Et valde mane. Ps. Benedictus.*

Surgens.

Oratio: Deus, qui hodiérna.

[Ant.] *Surgens Iesus mane prima sabbati.*

Psalmi: *Deus, in nómine tuo.*

Beáti immaculáti.

Retribue servo tuo.

Confitémini Dómino.

Allelúia, Pascha nostrum, Epulémur.

Deus, qui hodiérna.

7. Sequatur ad tertiam antiphona, et ad ceteras horas idem ordo sequatur. Et, indutis clericis sollempnibus vestimentis hora tertia, processioneque parata, fiat:

¹ P 55^v

² *Intellige matutinis laudibus, vel cum est omittendum*

³ *Malim hymnus*

EXORCISMUS AQUÆ

[MINOR BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ]

8. In primis vero [Deus],⁴ in adiutórium, deinde Pater noster · et symbolum.

9. [Exorcismus salis:]

EXORCÍZO te, creatúra salis, per Deum vivum, per Deum sanctum, qui te per Elisæum prophétam in aqua mitti iussit, ut sanarétur sterílitas aquæ, et efficiáris sal

⁴ *Loco Deus relictum est spatium litteris nigris vacuum*

exorcizátum · in salútem credéntium, ut sis ómnibus suméntibus sánitas ánimæ et cörperis, et effúgi/102'/at atque discédat ab eo loco, quo aspérsus fúeris, omnis phantásia · et nequítia · vel versútia diabólicæ fraudis · omnisque spíritus immúndus adiurátus. Per eum, qui ventúrus est.

10. [Oratio:]

IMMÉNSAM cleméntiam tuam, omnípotens, ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram salis, quam in usum humáni géneris tribuísti, benedícere et sanctificáre pro tua pietáte dignéris, ut sit ómnibus salus mentis et cörperis, et, quicquid eo tactum vel respérsus fúerit, cáreat omni immundítia · omníque impugnatione spiritalis nequítia. Per eum, qui ventúrus.

11. Exorcismus aquæ:

EXORCÍZO te, creatúra aquæ, in nómine Dei Patris omnipoténtis · et in nómine Iesu Christi, Fílii eius, Dómini nostri, ut fias aqua exorcizáta, ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre · et explantáre cum ángelis suis apostáticis · per virtútem eiúsdem Dómini nostri. Qui ventúrus est.

12. [Oratio:]

DEUS, qui ad salútem humáni géneris máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti: adésto invocatióibus /102'/ nostris, et eleménto huic multimodis purificatióibus præparáto · virtútem tuæ benedictiόνis infúnde, ut creatúra mystérii tui tibi sérviens, ad abiiciéndos dæmones morbósque pelléndos, divínæ grátia sumat efféctum, ut, quicquid in dómibus vel in locis fidélium hæc unda respérrit, cáreat immundítia, liberétur a nóxia, non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrumpens, discédant omnes insídiæ laténtis inimíci, et, si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet · aut quiéti, aspersione huius aquæ effúgiat, ut salúbritas per invocatióem tui nóminis expetíta · ab ómnibus sit impugnationibus defénsa. Per.

13. Hic mittat sal in aquam, dicendo:

Fiat commíxtio salis et aquæ páriter · in nómine Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti.

14. [Oratio:]

DEUS, invíctæ virtútis auctor · et inseparábilis impérii rex · ac semper magníficus triumphátor, qui advérsæ dominatiónis vires réprimis, qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas, qui hostíles nequítias potens ex/103'/púgnas: te, Dómine, treméntes et súpplícis deprecámur ac pétimus, ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter accípias, benígnus illústres, pietátis tuæ more¹ sanctífices, ut, ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatióem sancti tui nóminis omnis infestatio immúndi spíritus abiiciátur, terrórque

¹ *Malim* rore

venenósi serpéntis procul pellátur, et præsentia Sancti Spíritus nobis, misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adesse dignétur. Per Dóminum.

15. Post hæc episcopus, accipiens de ipsa aqua, spargat super altare, quod proprium est episcopo, quia potestas altaris data est illi; presbyteris autem in circuitu, cantando istam antiphonam:

Vidi aquam, egrediéntem.

16. Alia antiphona:

In die resurrectionis.

17. [Versiculus:]

Quóniam apud te est fons vitæ. Et.

18. Sequitur oratio ante altare:

DEUS, qui ad ætérnam vitam in Christi resurrectione nos réparas: imple pietátis tuæ ineffábile sacraméntum, ut, cum in m[a]iestáte sua Salvátor noster advénerit, quos fecisti baptísimo regenerári, fácias beáta immortalitáte vestíri. Per eúndem.

[PROCESSIO PASCHALIS]

19. Finita oratione, incipiat cantor antiphonam:

Cum rex glóriæ, Christus infêrnos.

20. Et sic veniant usque ad sanctum Stephanum, **/103/** et intrantes ecclesiam, dicatur hæc oratio:

21. [Versiculus:] *Magna est glória eius.*

DEUS, qui paschále nobis remédiu[m] contulísti, intercedénte beáto Stéphan[o] proto-mártire tuo,¹ ut inde in perpétuum gáudeat, unde nunc temporáliter exsúltat. Per.

22. In redeundo autem incipiat cantor antiphonam:

Sedit ángelus.

23. Et sic perveniant usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ, ibique duo clerici, pulpitu[m] ascendentes, cantent hos versus:²

Crucifixu[m] Dóminu[m] laudáte, et sepúltu[m] propter nos glorificáte, resurgentémque a morte adoráte. Respondeat chorus: Nolíte metúere. Et alii duo prosequantur · istu[m] versu[m], pul-

¹ Oratio trunca videtur.

² Duo ultima verba in margine a m. orig. verticaliter

pitum alium ascendentes: Recordámini, quómo modo prædixit, quia opórtet Fílium hóminis crucifigi et tértia die a morte suscitári. Chorus: Allelúia.

24. Et tunc demum oratio:

SÚSCIPE, Dómine, preces nostras, et¹ per resurrectionem Fílii tui, Dómini nostri, Iesu Christi a cunctis malis liberémur, et, intercedénte beátæ Maríæ,² semper Vírgine, muro custódiæ tuæ hoc sanctum ovile circúmdata, ut, omni adversitaté depúlta, hoc semper domicílium sit incolumitátis et pacis. Per. **/104'**

25. Missa vero agatur ordine suo. Dominus igitur pontifex, pronuntiante Glória Patri cantore, a duobus presbyteris sustentatus, procedat · ad altare, et, facta confessione, post Kýrie eléison · a duobus clericis dicatur alta voce:

Sacérdos Dei excélsi, veni ante sacrum et sanctum altáre. Tunc, a duobus clericis supra memoratis sustentatus, præsentetur ante altare. Et in laudem regis regum vocem tuam prior emittere dignáre, súpplices · te rogámus, ei addícito: Tunc pontifex, extendens manus, dicat clara voce: Glória in excélsis Deo.

26. Idem vero presbyteri, unus ad dexteram altaris, alius ad sinistram, canonica auctoritate, si fieri potest, et iam duodecim in testimonio perseverent cum pontifice · usque ad finem. Eodem vero die infra canonem, antequam dicatur: Per quem hæc ómnia, Dómine, benedicantur carnes agnorum, non canonica auctoritate, sed propter eos, qui ipso die non possunt communicari. Qui autem communicati fuerint, non indigent edere sanctificatas carnes, quia Agno immaculato, id est: carne Fílii Dei **/104'** Dei³ satiati sunt.

¹ *Intellige* ut

² *Intellige* beáta María

³ *Orig. del.*

BENEDICTIO CARNIS AGNI IN PASCHA

27. [Oratio:]

DEUS, univérsæ carnis creátor, qui Noe · et fíliis suis de mundis · et immúndis animálibus præcépta dedísti; quique, sicut ólera herbárum, humano géneri quadrupédia munda édere iussísti; qui agnum in Ægýpto Móysi · et pópulo tuo in vigília Paschæ comédere præcepísti · in figúra Dómini nostri, Iesu Christi, cuius ságuine ómnia primogénita de mundo redemísti, et in nocte illa omnem primogénitum in Ægýpto percútere præcepísti, servans pópulum tuum agni ságuine prænotátum: dignáre, Dómine, Deus omnípotens, benedícere · et sanctificáre has óvium mundárum carnes, ut, quicúmque ex fidélibus pópulis coméderint, omni benedictióne cælésti et grátia saturáti, repleántur in bonis. Per.

28. *Benedictio carnis avium:*

DEUS, univērsæ cōnditor creatūræ, qui inter cēteras diversārum creatūrārum spēcies · pro humāni gēneris usu · étiam reptílium genus ex aqua producere · dignátus es; et **/105/** qua¹ Noe · ex arca egrédiens, holocáustum tibi ófferens, plácuít; qui pópulum tuum, munda ab immúndis ségregans, edéndi præcéptum dedísti: te súpplices rogámus, ut has mundānarum ávium carnes benedícere · et sanctificáre dignéris, ut, quicúmque ex eis coméderint, benedictiōnis tuæ abundántia repleántur, et ad æternæ vitæ gáudia perveníre mereántur. Per.

29. *Benedictio casei:*

DIGNÁRE, Dómine, Deus omnípotens, benedícere et sanctificáre · hanc creatúram cásei, quam ex ádipe animálium producere dignátus es, ut, quicúmque ex pópulis eius fidélibus coméderint, omni benedictiōne cælésti · et grátia tua saturáti, repleántur in bonis. Per.

30. *Benedictio ovorum:*

SUBVÉNIAT, Dómine, quæsumus, tuæ benedictiōnis grátia · huic ovórum creatūræ, de qua pullos gallinárum dignátus es procreáre, ut cibus salutáris fiat tuis fidélibus, cum gratiárum actiōne suméntibus. Per.

31. *Benedictio lactis et mellis:*

BÉNEDIC, Dómine, has creatúras lactis et mellis, et pota fámulos tuos de hoc fonte **/105/** perénni, quod est Spíritus veritátis, et nutri eos lacte et melle. Tu enim, Dómine, promisísti pátribus nostris, Abrahæ, Isaac · et Iacob, dicens: Introducam vos in terram, fluéntem lac et mel. Coniúnge, Dómine, fámulos tuos Spíritui Sancto, sicut coniúntum est hoc lac et mel, in Christo Iesu, Dómino nostro. Per quem hæc ómnia, *et reliqua.*

¹ *Malim* cui

ORDO AD VESPERAS

32. [Ant.] *Pax vobis, ego sum.*

[Ps.] *Dixit Dóminus.*

Confitébor · tibi.

Beátus vir, qui timet.

[Gradale:] *Hæc dies, quam fecit, Confitémini Dómino.*

Allelúia, Pascha nostrum, Epulémur.

[Ant.] *Et dicébant ad invicem.* [Ps.] *Magnificat ánima.*

[Oratio:] *Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui resurrectiōnis.*

[Ant.] *Vidi aquam, egrédiéntem.*

[Ant.] *In die resurrectionis.*

[Versiculus:] *Quóniam apud te est.*

33. [Oratio:]

DEUS, qui omnes in Christo renátos · genus régium¹ et sacerdotále fecísti: da nobis et velle, et posse, quæ præcipis, ut pópulo ad æternitátem vocáto · una sit fides córdium · et píetas actiónum. Per.

34. In reversione antiphona: *Christus, resúrgens, sive: Sedit ángelus.*

[Versiculus:] *In resurrectione.*

35. [Oratio:]

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui resurrectionis domínicæ sollémnia cólimus, ereptiónis nostræ suscípere lætítiam mereámur. Per.

¹ *Add. m. 1. in rasura*

AD COMPLETORIUM /106/

36. [Ps.] *Cum invocárem.*

[Graduale:] *Hæc dies, Confitémini.*

Allelúia, Pascha nostrum, Epulémur.

[Ant.] *Lapis revolutus.* [Ps.] *Nunc dimittis.*

37. Oratio:

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui grátiam domínicæ resurrectionis agnóvimus, ipsi per amórem Spíritus a morte ánimæ resurgámus. Per.

FERIA SEXTA

38. Ordo superior sequatur ad vespas. Et sic venientes fratres ad fontem, aquam baptismatis per cunuculos dimittant, quod in Sabbato Sancto fuerat sigillo ecclesiæ insignitum. In octavis vero, in sabbati nocte · non gradale, nec *Allelúia* · in matutinis laudibus dicatur, sed capitulum, et sic finiantur matutini, ut mos est ceteris diebus. Ad primam autem *Quicumque vult* dicatur, capitulum autem et responsum sequatur. Similiter autem ad tertiam, sextam, ad nonam. Ad missam vero non gradale, sed duo *Allelúia* dicantur, quia octo officia, quæ sunt in commemoratione neophytorum, distinguuntur a ceteris sequentibus usque in Pentecosten. Primum habet duas laudes, id est: *Allelúia, Confitémini* et tractum: *Laudáte Dóminum, omnes gentes.* Octavus similiter duas, id est: **/106/** *Allelúia* duo, *Hæc dies* · et: *Laudáte, púeri.* Quod non sit in «nullo alio sabbato · usque Pentecosten. Ab octavis igitur Paschæ in dominicis diebus usque ad Domini Ascensionem ordo paschalis ad processionem sequatur.

XV. Ordo in Inventionē sanctæ Crucis

1. Post evangelium et Credo in unum Deum · dicat pontifex: Dóminus vobíscum et Orémus, et sic si-
leant omnes, sternenturque a ministris ecclesiæ tapetia ante altare. Pontifex autem, accipiens turibu-
lum, impleat illud electis odoramentis, et, ab altari procedens, incipiat, antiphonam:

O, [...]¹

2. Et sic, usque ad terram pronus inclinans, non prosternens, quia paschale sacramentum est, veniat
ante altare sanctæ Crucis, adoraturus vivificam Crucem. Adolensque eam thymiamatibus, et osculans
eam, stet ad dexteram altaris, donec clerus cum populo adorent illam. Adorata itaque cruce, sequatur a
pontifice oratio:

TRÍBUE, quæsumus, Dómine, nobis, fámulis tuis in/107/dulgentiæ fructum, vi-
ctóriæ corónam, et abstérge a nobis nostrórum víncula delictórum, ut mereámur
fidéliter cólere, fiduciáliter agnóscere, veráciter adoráre, et desiderábiliter exspectáre.
⟨Per.⟩ Qui.²

3. Sequatur a pontifice benedictio statim super clerum et populum:

GREGEM tuam, quæsumus, Dómine, placátus inténde, et esuriéntem verbo vitæ
sátia, sitiéntem salutári fonte réfici, et tríbue fidem rectam, spem firmam · et ca-
ritátem perféctam, ut, calcátis perversitátibus univérsis, tua grátia cooperánte, gáudeat,
et perféctam lætítiam consequátur, quátenus præsens tempus cum felicitáte percúrrat,
et te, ventúrum iúdicem secúrus excípiat.

4. Alia:

SUPER pópulum tuum, Dómine, quæsumus, Spíritus Paráclitus descéndat, qui
consolatiónem tríbuat, fidem confirmet, caritátem accéndat, misericórdiæ dona
cónferat, quiétem nútriat, famem áuferat, bella cómprimat, pacem tríbuat, mærénti-
um gémitus vídeat, lácrimas tergat, mentes sanctíficet, salutem cónferat, et ab ómni-
bus /107/ hóstiis insídiis suæ³ semper protectióne múniat. Per.

¹ Post litteram initialem relictum erat spatium vacuum litteris nigris, quæ tamen numquam insertæ sunt.

² Corr. m. 1. (?) ad conclusionem Qui vivis et regnas etc. pro Per Dóminum nostrum etc. pertinens

³ Intellige sua

XVI. Ordo in Litanis secunda feria

1. Conveniat clerus cum populo ad ecclesiam, et post missam incipiant canere duo presbyteri:¹

Clementissime, exáudi, Dómine, pópulum tuum, allelúia. [Ps.] Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bédedic.

2. Dicat sacerdos: Orémus.²

MEMÉNTO famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, et múnere compunctiónis áperi, et largitáte pietátis exáudi. Per.

3. Antiphona:

Súrgite, sancti, de mansiónibus.

4. Oratio:

DEUS, qui culpas deli[n]quéntium, distrícte feriéndò, pércutis: fletus quoque lugéntium non recúses, ut, qui pondus tuæ animadversiónis cognóvimus, étiam pietátis grátiam sentiámus. Per.

5. Antiphona:

Ego sum Deus patrum vestrórum.

6. [Oratio:]

PARCE, Dómine, quæsumus, parce pópulo tuo, et nullis iam patiáris adversitátibus fatigári, quos pretiósò ságuine Fílii tui redemísti. Qui tecum.

7. [Antiphona:]

Pópulus Sion, convertímini ad Dóminum.

8. Oratio:

DEUS, qui culpas nostras piis verbéribus pércutis, ut nos a nostris iniquitátibus emúndes: da nobis et de vérbere tuo profíce/108/re, et de tua cítius consolatióne gaudére. Per.

9. Antiphona:

Dómine, Deus noster.

¹ Ultima tria verba in margine a m. orig. verticaliter

² Rasura duarum linearum

10. [Oratio:]

ADÉSTO, Dómine, supplicatióibus nostris, et sperántes · in tua misericórdia, intercedénte beáto Petro, apóstolo tuo, cælesti prótege benígnus auxilió. Per.

11. [Antiphona:]

Confitémini Dómino, filii Israel.

12. [Oratio:]

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, ad te toto corde clamántes, intercedénte beáto Petro, apóstolo tuo, tuæ pietátis indulgéntiam consequámur. Per.

13. In redeundo fiant litaniae:

Húmili prece(s).

ORDO IN TERTIA FERIA

14. Antiphona:

Exsúrge, Dómine. [Ps.] Deus, áuribus.

15. [Oratio:] Orémus.¹

CONSÉRVA, quæsumus, Dómine, pópulum tuum, et ab ómnibus, quas merémur, adversitatibus redde secúrum, ut tranquillitáte percépta, devóta mente tibi desérviat. Per.

16. Antiphona:

Cum iucunditáte.

17. [Oratio:]

AFFLICTIONEM famíliæ tuæ, Dómine, intén[de]² placátus, ut, indúlta vénia peccatórum, líberis tibi méntibus serviámus. Per.

18. Antiphona:

Exclamémus omnes ad Dóminum.

19. [Oratio:]

PRÉCIBUS nostris, quæsumus, Dómine, aurem tuæ pietátis accómmoda, et oratiónes súpplícum occultórum cógnitor benígnus exáudi, ut, **/108'** te largiénte, ad

¹ *Rasura unius lineæ*

² *Add. m. 1.*

vitam pervéniant sempitérnam. Per.

20. Antiphona:

Parce, Dómine.

21. Antiphona:

Dómine, imminúti sumus propter peccáta.

22. [Oratio:]

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut, qui nostris fatigámur offénsis, et mérito nostræ iniquitátis affligimur, pietátis tuæ grátiam cónsequi mereámur. Per.

23. In redeundo fiant litaniae.

ORDO IN QUARTA FERIA

24. Duo clerici · prosequantur hos versus:

Agne Dei, qui tollis peccáta <peccáta> mundi: miser[é]re¹ nobis.

Súscipe deprecationem nostram, qui sedes ad dexteram Patris, et chorus: Agnus Dei.

Glória Patri · et Filio · et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc et semper et in sæcula sæculórum, amen. Agne Dei, qui.

Sancte sanctorum, Deus: miserere nobis.

Sancte restaurator mundi, Deus: miserere nobis.

Sancte illuminator mundi, Deus: miserere nobis.

Sancta Dei Génitrix: intercède pro nobis.

Sancti ángeli: intercédite pro nobis.

Sancti prophète: intercédite.

Sancti apóstoli: intercédite.

Sancti mártires: intercédite.

Sancti confessóres: intercédite.

Sanctæ vírgines: intercédite.

Omnes sancti: inter[cé]dite pro nobis.

25. Post hæc: Orémus.

EXÁUDI, Dómine, pópulum tuum tota tibi mente subiéctum, ut <dum>² córpore et mente protéctus, quod pie crédidit, tua grátia consequátur. Per. /109/

¹ *Add. m. 1.*

² *Orig. del.*

26. [Antiphona:]

Orémus, dilectíssimi, nobis.

27. [Oratio:]

SUBIÉCTUM tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cælestis amplíficet, et tuis semper fáciat servíre mandátis. Per.

28. [Antiphona:]

Omnípotens Deus, mástórum.

29. Oratio:

MISERÉRE iam, quæsumus, Dómine, pópulo tuo, et contínuis tribulatióibus laborántem céleri propitiatióne lætífica. Per.

30. Antiphona:

Christe, qui regnas in cælis, et sedes.

31. Oratio:

AUXILIÁRE, Dómine, misericórdiam tuam quæréntibus, et da véniam confiténtibus; parce supplicibus, ut, qui nostris méritis flagellámur, tua miseratióne salvémur. Per.

32. Antiphona:

Timor et tremor venit.

33. [Oratio:]

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui iram tuæ indignatiónis agnóvimus, misericórdiæ tuæ indulgéntiam consequámur. Per.

34. In redeundo fiant litaníæ solitæ populares:¹

Aufer a nobis, Dómine, iniquitátes nostras, ut mereámur pura² méntibus introire a[d] sancta sanctorum. Miserére, miserére, miserére pópulo tuo, quem redemísti, Christe, sáanguine tuo, ne in atérnum irascáris nobis. Aufer a nobis. Exáudi, exáudi, exáudi, Dómine, preces nostras; sancta María, ora pro nobis. Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. Christe, audi nos.

35. Et cetera, ut ordo prosequatur.

¹ Verba solitæ populares sunt rubra littera initiali et alioquin nigro, per totum minoribus litteris scripta, tamquam textus cantus cuiusdam.

² Intellige puris

ORDO AD PLUVIAM /109/ POSTULANDAM

36. [Oratio:]

TERRAM tuam, Dómine, quam vidémus nostris iniquitatibus tabescéntem, cælestibus aquis infúnde, atque írriga beneficiis grátia sempiternæ. Per.

37. [Antiphona:]

Numquid est in idólis.

38. Oratio:

DA nobis, Dómine Deus, plúviam salutárem, et áridam terræ fáciem · fluéntis cælestibus dignánter infúnde. Per.

39. Antiphona:

Dómine rex, Deus Abraham: dona.

40. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui salvas omnes, et néminem vis períre: áperí fontem benignitátis tuæ, et terram áridam [aquis] fluénti cælestis dignánter infúnde. Per.

41. Antiphona:

Exáudi, Dómine, pópulum tuum.

42. [Oratio:]

DELÍCTA nostra, Dómine, nos ipsi cognóscimus, ut ipsíus terræ · séditas¹ monstrat · transgressiónis excélsus;² tu autem, piíssime Pater, qui cælum clausísti contumácibus et ingrátis, reserérátum humílibus et contrítis · concéde deprecántibus subsidia pluviárum, et largíre mæréntibus abundántiam. Per.

43. Antiphona:

Réspice, Dómine, quia áruit terram.

44. Oratio:

IN afflictióné máxima constitútis · consolatióne tríbue, fons largíssimæ pietátis: descendat, quæsumus, plúvia **/110/** salutáris, ut ómnia, quæ sub cælo sunt, irrigántur

¹ *Malim* sterilitas

² *Malim* excéssus

ab aquis; pasce servos tuos ímbribus consuétis, quos ad laudem tuæ creatúræ dignátus es maiestátis. Per.

45. *Antiphona:*

Dómine, rigans montes.

46. *Oratio:*

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui solus mittis aquas e cælis: dona servis tuis benefícium plúviæ salutáris, ut, quod facínore nostro suspénditur, tuo iam gratuito múnere protegétur. Per.

ORDO AD POSCENDAM SERENITATEM

47. [*Oratio:*]

DÓMINE Deus, qui in ministério aquárum salutis tuæ nobis sacraménta sanxísti: exáudi oratióem pópuli tui, et iúbe terróres inundántium cessáre pluviárum, flagellúmque huius eleménti · ad afféctum tui convértere mystérii, ut, qui se, regenerántibus aquis, gaudent renátos, gáudeant, his castigántibus, esse corréctos.

48. *Antiphona:*

Inundavérunt aqua, Dómine.

49. [*Oratio:*]

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, cleméntiam tuam, ut inundántiam coérceas ímbrium, et hilaritátem tui vultus nobis impertíri dignéris. Per.

CONTRA FULGURA

50. *Primum aspergatur aqua benedicta. [Exorcismus salis et aquæ:]*

EXORCÍZO te, creatúra salis et aquæ, in nómine Dómini nostri, Iesu Christi Nazaréni, Fílii /110'/ Dei vivi, ut sis purgátio et purificátio in his locis, in quibus aspérsa fúeris, ad effugándos immúndos et erráticos spíritus, omnémque nefáriam vim diaboli pellándam,¹ et omnes fú[l]guras et minas · phantasmáticis² Sátanæ exterminándas, et fúlgora et sídera, quæ muti³ vidéntur in hanc domum vel árborem, non

¹ *Intellige* pelléndam

² *Intellige* phantasmáticas

³ *Intellige* mitti

homínibus, non pecóribus, aut frúgibus nóceant, sed abscédant et fúgiant · per invocatióem nóminis Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus.

51. *Post exorcismum aquæ sequitur:*

DEUM omnipoténtem, fratres caríssimi, in cuius domo mansiónes multæ sunt, súpplices deprecámur, ut habitáculum istud una cum habitatóribus benedícere atque custodíre dignétur, ténebras ab eo repéllat, lumen infúndat, nullam sæviénti advers[ár]io tríbuat potestátem, sed proptérea dedicáta sit hæc domus, ut nullam in ea inimícus licéntiam hábeat nocéndi, per virtútem · et nomen Dómini nostri, Iesu Christi. Qui ventúrus.

52. *Antiphona:*

Deprecámur te, Dómine, in omni.

53. *[Oratio:]*

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: parce metuéntibus, et propitiáre supplí[ci]bus, ut post nóxios ignes núbium · et vim procellárum in matériam tránseat laudis · comminátio potestátis. Per.

54. *[Alia oratio:]*

DEUS, cuius império · nihil non verbo régitur, nihil non oratióne mutátur: parce metuéntibus, propitiáre supplícibus, ut post nóxios ignes · et túrbines procellárum in matériam tránseat laudis · comminátio potestátis. Per.

55. *[Alia oratio:]*

DEUS, qui ómnium rerum tibi serviéntium natúram per ipsos motus áeris · ad cultum tuæ maiestátis instítuis: temperántiam, tranquillitátem, frigóribus, terróribus nobis misericórdiæ tuæ remótis, largíre, ut, cuius iram expávimus, cleméntiam sentiámus. Per.

56. *[Alia oratio:]*

A domo tua, quæsumus, Dómine, spiritáles nequítia repellántur, et aeriárum discédant malígnitas tempestátum. Per.

57. *[Alia oratio:]*

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui nos et castigándo sanas, et ignoscéndo consérvas: præsta supplícibus tuis, ut et tranquillitátibus huius optátæ · consolatiónis lætémur, et dono tuæ pietátis utámur. Per.

ORDO IN TEMPORE MORTALITATIS

58. [Oratio:]

DEUS, in cuius conspéctu sanctus Míchael gloriósus astat: præsta, quæsumus, ut tibi pro pópulo tuo exoráre /1117 dignétur, ubi grátiam tuam mererétur habére præsentem. Per.

59. [Antiphona:]

Média vita in morte.

60. [Oratio:]

ECCLÉSIE tuæ, quæsumus, omnipotens Deus, placátus inténde convéntu[m], et misericórdia tua nos pótius, quam ira, prævéniat, quia, si iniquitátes nostras observáre volúeris, nulla póterit creatúra subsístere; sed admirábili pietáte, qua nos fecísti, ignósce peccántibus, ut ópera mánuum tuárum non fácias interíre. Per.

61. [Antiphona:]

Libera, Dómine, pópulum tuum.

62. Oratio:

EXÁUDI, Dómine, preces nostras, et ne velis cum servis tuis ire ad iudícium, quia, sic[ut] in nobis nulla iustítia reperítur, de qua præsumere valeámus, ita te fontem pietátis agnóscimus, a quo et a peccátis nostri[s] · nos absólvi, et a necessitatibus liberári confídimus. Per.

ORDO IN TEMPORE BELLI

63. Responsorium:

Dómine, Deus, qui cónteris bella ab initio. V. Dómine, Deus cæli et terræ.

64. Responsorium:

Congregáti sunt inimíci nostri. V. Dispérge illos.

65. Responsorium:

Muro tuo inexpugnábili. V. Erue nos, Dómine.

66. Psalmus:

Deus, áuribus nostris.

67. Preces:

Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.

Nihil proficiant inimíci in nobis. Et filii iniquitátis non appónent nocére nobis.

Adiuva nos, Deus salutáris noster.

Exsúrge, Dómine, ádiuva nos.

Dómine, exáudi oratióem.

68. Sequitur oratio: /112'/

FIRMAMÉNTUM spei et refúgium doléntium, piíssime Deus: salva nos ab inimícis · et a láqueis mortis, ut, assúptis de multitúdine circumstántium tribulatiónum, devotíssime nómini tuo · cum voce exsultatiónis psallámus. Per.

69. Oratio:

SUSCÉPTOR ómnium, clementíssime Deus: ne permíttas delectári inimícos nostros super nos, sed ita nos tua virtúte corróboras, ut, convérso planctu nostro in gáudium, sanctitátis tuæ memóriam iúgiter excolámus. Per.

70. Item, oratio:¹

EXSÚRGE, Dómine, in auxiliúm vestrum,² et érue nos ab oppróbriis inimicórum, et, qui coram pátribus nostris inimicárum géntium regna vicísti, a persecuéntibus inimícis tui illuminatióne nos éripe. Per.

¹ *Add. m. 3D in margine:* Omnípotens, sempitérne Deus, in cuius manu sunt ómnium potestátes · et ómnium regnórum: exsúrge in auxiliúm famulórum tuórum, et érue nos ab oppróbriis inimicórum, ut, qui in sua feritáte confidunt, potestátis tuæ dextera comprimántur. Súscipe, Dómine, preces et hóstias Ecclesiæ tuæ · pro salúte fámuli tui, et antíqua bráchii tui cleménter operáre mirácula, quáatenus, prostrátis pacis inimícis, devóti simus nómini tuo, cum voce exsultatiónis psallámus.

² *Intellige nostrum*

XVII. Ordo in Ascensione Domini

1. Prius aspergatur aqua benedicta. Antiphona:

Vidi aquam, egrediéntem.

2. Sequitur oratio:

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus: deduc nos ad societátem cæléstium gaudiórum, ut grátia tui Spíritus renátos · regnum tuum fácias introíre, atque eo pervéniat humílitás gregis, quo procéssit celsitúdo pastóris. Qui.

3. Ad processionem dicatur responsorium, «eundo ad sanctum Stephanum:

Ite in orbem univérsum.

4. Oratio: /112'/

TRÍBUE, quæsumus, omnípotens Deus, ut múnere festivitátis hodiérnæ illuc filiórurum tuórum dirigátur inténtio, quo in tuo Unigénito tecum est nostra substántia. Qui tecum.

5. In redeundo canitur versus a duobus clericis:

Salve, festa dies.

6. [Oratio:]

DEUS, qui nos resurrectiόνis domínicæ · et ascensiónis eius lætabúnda sollémnia celebráre fecísti: da fámulis tuis, ut veniéntis Sancti Spíritus grátiam purificátis méntibus suscípere mereámur. Per.

7. Post missa agatur · ordine suo.

XVIII. Ordo in vigilia [Pentecostes]

1. [Lectio:] Tentávit Deus Abraham.

[Oratio:] Deus, qui in Abrahæ, fámuli.

[Lectio:] Scripsit Móyses.

[Tractus:] *Atténde, cælum.*

[Oratio:] Deus, qui nobis [per] prophetárum ora præcepísti.

[Lectio:] Apprehéndent septem mulíeres.

Tractus: *Vínea facta est.*

[Oratio:] Deus, qui nos, ad celebrándam.

[Lectio:] Audi, Israel.

[Tractus:] *Sicut cervus desiderat.*

[Oratio:] Deus, incommutábilis virtus.

2. [Oratio:]

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui sollemnitátem doni Spíritus.

3. [Litania:]

<i>Christe, audi nos.</i>	<i>Sancte Ráphael. Ora.</i>	<i>Sancte Andréa. Ora.</i>
<i>Sancta María. Ora.</i>	<i>Sancte Ioánnes. Ora.</i>	<i>Sancte Stéphane. Ora.</i>
<i>Sancte Michael. Ora.</i>	<i>Sancte Petre. Ora.</i>	<i>Sancte Clemens. Ora.</i>
<i>Sancte Gábriel. Ora.</i>	<i>Sancte Paule. Ora.</i>	<i>Sancte Géorgi. Ora.</i>

LACUNA

XIX. [Qualiter sacerdotes suscipere debeant pænitentes more solito]

1.

/113ʹ¹ sacárum rerum · aut in ódio · aut invídia · aut in discórdia · seu in blasphémia · aut in homicídio · aut pro vólucré fecísti homicídium · sive pro vindícta seniórís · aut patris · aut matris · aut fratris · seu cuiúslibet persónæ, ut iurátus es in patrocíniis sanctórum · sive coáctus · aut non coáctus · aut fecísti adultérium · cum muliere aliéna · aut cum vírgine · aut sanctimoniáli · aut cum vídua · aut sic in própria matre, quod absit, seu cum soróre · sive cum cognáta? Aut legítimam uxórem habuísti, et dimisísti eam, et duxísti áliam? Aut patri · aut matri tuæ · manum eréctus es in ira? Aut propter concupiscéntiam tuam fornicátus es teípsum? Aut negásti seu blasphemátus es Deum? Aut nupsísti duábus soróribus, aut nupsísti cum matre tua retro? Aut fornicásti, sicut Sodómitæ? Aut cum animálibus, vel his simília, quæ longum est enarráre?

2. Et ad ultimum faciat eum dicere:²

MULTA sunt peccáta mea, in his et in áliis meus,³ quibuscúmque hu[má]na fragílitas contra Deum · et creatórem suum · aut cogitádo, aut loquéndó, aut operádo, aut delectádo, **/113ʹ** aut concupiscéndó peccáre potest; in ómnibus me peccásse · et reum in conspéctu Dei super omnes hómínes esse cognósco · et confíteor, humíliter étiam te, sacérdos Dei, expóscó, ut intercédas pro me · et pro peccátis meis ad Dóminum, creatórem suum, quátenus de his · et de ómnibus sceléribus meis véniam · et indulgéntiam cónsequi mérear.

3. Et statim indicet ei sacerdos modos pænitentia, verum caveat, ut ita discrete, ne doctorem subsequens sermo redarguens culpet:

ALLIGANT aut[em] ónera grávia et importabília, et impónunt super húmeros hóminum, dígitó aut[em] suo nolunt ea movére: secúndum aut[em] consequéntiam tales sunt étiam nunc sacerdótes, qui omnem iustítiam mandant pópulo, et ipsi nec módicam servant, vidélicet et⁴ non faciéntes sint iusti, sed ut dicéntes appáreant

¹ Lacuna continens finem anni liturgici et initium ordinis saltem subsequenti pænitentialis. Superficies paginæ ultimæ prioris quaternionis, necnon primæ sequenti quaternionis valde contrita est. Ultima quaternionis, quæ superest, aliquando separatim usitata, et ideo aliis longe contritior effecta videtur.

² Dehinc inclusive omnes rubricæ eodem colore sunt insertæ, quo correctiones a m. 1. rubro factæ.

³ Malim multis vel meis

⁴ Malim ut

iusti. Tales sunt, et qui grave pondus veniéntibus ad pæniténtiam impónunt, quia dicunt, et non faciunt. Et sic, dum pæniténtiæ præsentis modus fúgitur, pœna peccáti futúri contémnitur; fascem super húmeros adolescéntis, **/114/** quem non potest baiuláre, posúeris: necesse habet, ut aut fascem reiíciat, aut sub póndere confringátur. Sic et hómuni, cui grave pondus impónis, necesse est, ut aut pæniténtiam reiíciat, aut suscípiens, dum ferre non potest, scandalizátus ámplius peccet. Deínde, et si errámus, módicam pæniténtiam imponéntes, nonne mélius est · propter misericórdiam dare ratiónem, quam propter crudelitátem? Ubi paterfamílias largus est, dispensátor non debet esse tenax. Si Deus benígus, ut quid sacérdos eius áusterus?¹ Vis apparére sanctus? Circa tuam vitam · esto áusterus, circa aliórum autem benígus. Audient te hómnes parva mandántem, et grátiam tibi faciént. Talis est autem sacérdos, qui sibi indúlget, et álios éxigit, quemádmódum malus descríptor · tribúti in civitáte, qui se rélevat, et ónerat impoténtes. Sápiens autem médicus excípiat quæque melióra, ut discretiónés ómnium causárum · investigáre possit, sine quibus rectum iudícium · non potest stare, quia scriptum est: In nulla re appáreat indiskrétus; sed distíngue, quod, ubi, quámdu, quando, quáliter débeas fácere. Non ómnibus ergo in una eadémque libra pensándum **/114/** est, licet et in uno constringántur vítio, sed discretío sit · inter unumquémque eórum, hoc est: inter dívitem et páuperem, inter servum et líberum, infántem et púerum, adolescéntem ætáte, mónachum, epíscopum, presbýterum, diáconum, lectórem, in gradu, vel sine gradu, coniugátum, vel sine coniúgio, peregrínium, indígenam, vírginem, víduam, canónicam, mónacham, débilem, infírmum, sanum, fornicántem cum animálibus, vel cum homínibus contra natúram, continéntem, vel incontínentem, voluntáte, necessitáte, vel casu, seu in público peccántem, vel in abscondito, et quali compunctióne; hæc ómnia emúndet,² et ut loca, témpora pæniténdi discat. Hæc ómnia de canónibus, et de sanctórum patrum «de» senténtiis, et de Hieronýmo, et Augustíno, Gregório, Theódoro, ex Pæniténtiáli Románo · vera collégimus, et ut nulli necesse sit períre. Sciéntibus et intelligéntibus animárum médicis hæc temperánda commítimus. In Iesu Sirach dicitur: In iudicándo esto misericors, pupíllis, ut pater. Item, sanctus Iacob ait: Iudícium **/115/** sene³ misericórdia erit illis, qui non faciunt misericórdiam, superexáltet autem misericórdia iudícium. Et sanctus Augustínus dicit · de illis, qui veram pæniténtiam faciunt · in ieiúnio, et fletu, et eleemósynis, in oratióibus: Et, ut perpetráta íterum non faciant, et, si fécerint, tamen non perseveráverint in eis, quia Deus dixit: Maledixísti, ignóvi. Perseveráre te in malo · non ignósco, sed índico distríctum iudícium · secúndum cánonem · et iuxta institúta maiórum, ut céteri timórem hábeant.

4. Deinde sacerdos cum pænitente prosternat se in terram, et decantent hos sequentes psalmos:

Dómine, ne in furóre.

Miserére mei, Deus.

¹ Ms. aust'is

² Vel eméndet (?)

³ *Intellige* sine

Deus, in nómine tuo.

5. [Litania:] *Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.*

<i>Iuste iudex, miserére nobis.</i>	<i>Coróna vírginum, miserére.</i>
<i>Eléctio apostolórum, miserére nobis.</i>	<i>Pater orphanórum, miserére.</i>
<i>Fides mártýrum, miserére nobis.</i>	<i>Pacis cónditor, miserére.</i>
<i>Glória confessórum, miserére nobis.</i>	<i>Quiēs¹ indúltor, miserére.</i>
<i>Heréditas levitárum, miserére.</i>	<i>Remíssio peccatórum, miserére nobis.</i>

6. [Preces:] *Kýrie, eléison. Christe, eléison. Pater noster. Et ne nos indúcas.*

Avérte fáciem tuam a peccátis meis.
Ne intres in iudícium cum servo tuo, Deus.
Ne memíneris iniquitátum eius antiquárum, Deus. Cito antícipent.
Delicta iuventútis eius et ignorántias. Ne memíneris.
Viam iniquitátis ámove ab eo, Deus. Et de lege tua miserére ei.
*Exsúrge, Deus, **115**! ádiuva eum.*
Dómine, exáudi oratiónem.
Dóminus vobíscum.

Absolut[i]o episcoporum

7. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, críminum absolútor, et indúltor peccáminum, qui apóstolis tuis apostolorúmque successóribus dixísti: sine me nihil potéstis fácere, et: si duo ex vobis consensérunt super terram de omni re, quæcúmque petérint, fiet eis a Patre meo; quod étiam spiritaliter beáto Petro, apostolórum príncipi ligándi · et solvéndi pontificium tradidísti, et póstea in omnes discípulos generáliter tradidísti, et dixísti: accípite Spíritum Sanctum, quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis; tu, Dómine, in nostro ministério tuam ínsere cleméntiam, et in nobis peccatóribus, quod tuum est, operáre, et, quod nostra non éxigunt mérita, tuæ virtútis impleátur efféctu. Súpplices ergo póscimus cleméntiam tuam, ut fámulo tuo, ómnibus cordis et córporis gemítibus suórum relaxatiónem peccatórum postulánti, pius adiútor · et clemens indúltor exsístas, nihílque in præsentí angústia · sive éxitu obstet, quod fragílitas nostra cumulávit humána. Adsit eídem, rex cæli, tua misericórdia in tribulatióne constitúto, quæ² ádfuit latróni confiténti · et geménti meretríci **116**! ac lacrimánti, cui dimíssa sunt peccáta multa, quóniam diléxit multum. Ne reminiscáris, Dómine, malórum factórum eius, sed recordáre, quod pollícitus es, dicens: Nolo mortem peccatóris, sed volo, ut convertátur et vivat. Tu enim, Dómine, es solus potens · non solum peccáta dimítere, verum étiam ipsos peccatóres iustificáre. Per.

¹ *Malim Quiétis*

² *Add. m. 1. in margine*

8. Oratio:

DÓMINE Iesu,¹ qui dignátus es[t] discípuis tuis² dícere: quæcúmque alligáveritis super terram, erunt ligáta et in cælis, de quorum número quamvis indígnum me et peccatórem³ vínculis adstríctum esse · sua dignatióne vóluit: ipse te largífluo suæ pietátis dono · ac meæ simul pravitatís <in> ministério ablúere dignétur · ab ómnibus fragilitátis tuæ excéssibus intérius exteriúsque humane contráctis, et, sicut peccáti totíus mundi sua traditióne · atque immaculáti · ságuinis effusióne dignátus est expurgáre, ita quoque tuórum peccáminum máculas misericórditer non dedignétur emundáre, eíusdem sancti ságuinis interventióne, qui effúsus est in remissiónem peccatórum. Devotióne quoque tuam deinceps ad victóriam glóriæ **116'** suæ dignétur corroboráre, quátenus in hoc sæculo subripiéntium láqueos delictórum váleas evádere, et in futúro vitam ætérnam Christi ságuine corroborátam sine fine possidére. Adiuvánte Dómino nostro, Iesu Christo, qui nos fecit, cum non essémus, et redémit, cum pérditi essémus, ad laudem et glóriam nóminis sui.

9. Indulgentia peccaminis:

MISEREÁTUR tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua, líberet te ab omni malo, et consérvet te in omni ópere bono, et perdúcat te Christus, Fílius Dei vivi · in vitam ætérnam.

10.

INDULGÉNTIAM et remissiónem ómnium peccatórum tuórum · tríbuat tibi omnípotens et miséricors Dóminus.

11.

DÓMINUS sit tibi adiútor et protéctor · et peccatórum tuórum indúltor, et Deus misericórdiæ et pietátis det remissiónem tuórum peccáminum, et concédát locum pæniténtiæ tibi dignæ · mala acta deflére, gaudiaque vitæ ætérne felíciter obtinére. Per.

Absolutio presbyteri

12. [Oratio:]

DEUS, cuius indulgéntia omnis⁴ indiget: meménto fámuli tui, qui lúbrica terréni córporis fragilitáte nudátus est; quæsumus, da véniam confiténti, parce súpplíci, ut, qui suis méritis accu**117'**sátur, tua miseratióne salvétur. Per.

¹ *Malim* Dóminus Iesus

² *Malim* suis

³ *Intellige* peccatórum

⁴ *Add. m. 1. in rasura*

13. Oratio:

DÓMINE, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus, qui per Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum [nostrum] vúlnera nostra curáre dignátus es: te súpplīces rogámus ac pétimus, ut précibus nostris aurem tuæ [pietátis] inclináre dignéris, qui étiam remíttis ómnia crímina, et peccáta univérsa condónas; da huic fámulo tuo pro supplicíis véniam, pro mæróre lætítiam, pro morte vitam, et,¹ de tua misericórdia confidens, véniam peccatórum habére mereátur. Per.

14. Alia:

PÉTIMUS, Dómine, Deus noster, cónditor cæli et terræ, ut hílari vultu respícere dignéris super hunc fámulum tuum, et omne vínculum peccatórum relaxári iúbeas, quem hódie ad medicaméntum pæniténtiæ perveníre fecísti. Da ei, Dómine, humilitátem perféctam, mansuetúdinem quiétam, caritátem fraternitátis, tolerántiam córporis; fac eum relínquere omnem concupiscéntiam huius sæculi, tibíque, Deo soli pura mente · et devóto corde servíre iúbeas, quia tu dixísti: Nolo mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat; líbera, Dómine, fámulum tuum, **N.** a iudício Gehénnæ · et a láqueo diabóli, mitte ángelum tuum sanctum protectórem, qui eum custódiat · **¶117¶** ómnibus diébus vitæ suæ. Iesus Christus, Dóminus noster, qui vivit et.

15. [Alia oratio:]

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui peccatórum indulgéntiam in confessióne céleri posuísti: miserére conféssio,² succúrre lapso, ut, quem delictórum caténa con[s]t[r]íngit,³ magnitúdo tuæ pietátis absólvat. Per.

16. Oratio:

PRECOR, Dómine, cleméntiæ · et misericórdiæ maiestátem, ut fámulo tuo peccáta sua et⁴ facínora · confiténti débita relaxáre · et⁵ véniam præstáre dignéris, et præteritórum críminum culpas indúlgeas, qui húmeris tuis ovem pérditam reduxísti, qui publicáni précibus et confessióne · placátus es; tu étiam, Dómine, huic fámulo tuo placátus esse dignéris, ut⁶ huius précibus benígnus aspíra, ut in confessióne placábilis permáneat, fletus eius expetítio perpétuam cleméntiam tuam celériter exóret, sanctisque altáribus restitútus, rursus ætérnæ cælésti glóriæ mancipétur. Qui vivis et.

¹ *Intellige ut*² *Orig. del.*³ *Add. m. 1.*⁴ *Add. m. 1. superius*⁵ *Corr. m. 1. de ut*⁶ *Orig. del.*

17. *Absolutio:*

PER intercessiõnem sanctæ Dei Genitrícis Mariæ · ac beáti Michaélis archángeli · misereátur tui omnipotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua, et líberet te a diaboli potes/**118'**táte, et perdúcat te ad cæléste sua¹ regnum ad vitam ætérrnam, amen.

¹ *Intellige suum*

XX. [Ordo ad visitandum infirmum]

1. *Interim, dum ungitur infirmus, cantentur a fratribus septem psalmi pænitentiales cum litanía · et oratione dominica, id est: Pater noster, ceterisque precibus expletis, ut superius.*

2. [Oratio:]

OMNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui per beátum apóstolum tuum, Iacóbum dixísti: infirmátur quis in vobis, indúcat presbýteros² Ecclésiæ, et orent super eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini, et orátio fidei salvábit infirmum, et allevábit eum Dóminus, et, si in peccátis sit, dimitténtur ei: te súpplíces exorámus, ut hic fámulus per ministérium nostræ unctiõnis · et domum³ tuæ sanctæ pietátis peccatórum suórum véniam cónsequi · et ad vitam ætérrnam perveníre mereátur. Per.

3. Oratio:

ORÉMUS, fratres caríssimi, Dóminum nostrum, Iesum Christum pro fratre nostro, **N.**, quem durum ac præsens malum languóris ággravat, ut eum Dómini píetas cæléstibus dignétur curáre medicínis, quátenus ipse, qui dedit ánimam, det et salútem. Per.

4. Oratio:

ADÉSTO, quæsumus, Dómine, humilitátis nostræ obséquiiis, nobisque bonus cooperátor · assiste, ut, qui ad ex[secu]tiõnem⁴ mandatórum tuórum, huic æ[gro]⁵ /**118'** manus imponéntes, ólei sacri unctiõnem exhibémus, huiúsmodi servitúti nostræ te interésse sentiámus, quátenus, Sancti Spíritus grátia nostræ actiõnis officium comitánte, ab hoc fámulò tuo, **N.** omnis languor · et debílitás abscédát. Per.

² *Ms. prob'os*

³ *Intellige donum*

⁴ *Add. m. 1. in rasura*

⁵ *Add. m. 1. in rasura*

ORDO AD UNGENDUM INFIRMUM DE OLEO SANCTIFICATO

1. Cruces faciendo in quinque sensus corporis, id est: in superciliis oculorum, et in auribus deintus, et in aurium summitate, et in labiis exterius. Et sic crucis¹ faciendo in collo, in gutture, et inter scapulas, et in pectore, et in manibus, si episcopus · aut presbyter est, exterius, si vero laicus, interius, in pedibus ad talos, et in loco, ubi maximus dolor erit, ut maculæ, quæ per sensus corporis · quinque menti fragilitate carnis aliquo modo inhæserunt, a spiritali medicina Domini misericordia pellantur et sanentur. Nam infirmis pænitentibus istud unguentum fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo genus unum putatur posse concedi? Interim enim cantentur septem psalmi pænitentiales [a] fratribus, dum ungitur infirmus. Postea litania cum oratione dominica, id est: Pater noster.

2. Cunctisque precibus expletis, ut superius /119/ dat ordo, hanc orationem:

Omnípotens, sempitérne Deus, qui per beátum apóstolum tuum dixísti, *ut supra*.
Orémus Dóminum nostrum, Iesum Christum, pro fratre nostro, item, *ut supra*.

3. [Oratio:]

ADÉSTO, quæsumus, Dómine, humilitátis nostræ obséquii, *usque* et debílitas abscédât, relictóque imbecillitátis grabátto, ad remédium supérnum · vultum et mentem érigat, et pro sospitátis restitutíone · laudes nómini tuo competéntes in ætérnum persólvat. Per.

4.

Ungo te óleo divínitus sanctificáto, cælésti múnere nobis attribúto · in nómine sanctæ et individúæ Trinitátis, ut ipsa te intérius exteriúsque sanándo vivíficet, quæ univérsa condicióne sua, ne péreant, cóntinet. Per.

5. Ad caput, si est dæmoniacus:

Ungo caput tuum óleo sancto in nómine Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti · in remisiónem ómnium peccatórum tuórum, ut tibi sit ólei úntio sanctificáti · ad purificatiónem mentis et córporis, ut [non] láteat in te spíritus immúndus, neque in membris, neque in medúllis, nec in ulla compágine membrórum, sed hábitet in te virtus Dómini nostri · et Spíritus Sancti. In nómine Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti.

6. Item, ad caput simplicis infirmi:

Ungo caput tuum de óleo sanctificáto · in nómine /119/ Patris · et Fílii · et Spíritus Sancti, ut, more mílitis præparátus ad luctámen, possis aérias superáre catérvas. Per. In nómine Patris.

¹ *Intellige* *cruces*

7. Ad oculos:

Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut, quicquid illicito visu deliquisti, per huius olei unctiōnem expiatur. Per. In nomine Patris.

8. Ad aures:

Ungo has aures sacri olei liquore, ut, quicquid peccati delectatione nocivi auditus admissum es, hæc medicina spiritalis evacuet. Per. In nomine Patris.

9. Ad labia:

Ungo labia ista consecrati¹ olei medicamento, ut, quicquid otiosa, vel etiam ærumnosa peccasti locutione, divina clementia miserante, purgetur hac unctiōne. Per. In nomine Patris.

10. Ad collum:

Ungo collum tuum de oleo² sancto atque sacro in nomine Patris · et Filii · et Spiritus Sancti, «et per sanctam Trinitatem Dei, et in virtute Spiritus Sancti,³ ut salveris in perpetuum, tribuatque tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ et corporis · in remissionem peccatorum. Per.

11. Ad guttur:

Ungo guttur tuum in nomine Patris · et Filii · et Spiritus Sancti, ut sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem, et ad omnium absolutiōnem culpārum, **/120'** et defensionem contra iacula immundorum spirituum, custodiatque in hoc sæculo, et perducatur te in vitam æternam, amen.

12. Ad scapulas:

Ungo has scapulas de oleo sacro, ut in omni parte spiritali protectione munitus, iacula diaboli impetusque viriliter contemnere, ac procul cum superno iuvamine repellere possis. Per.

13. Ad pectus:

Ungo pectus tuum de oleo sancto in nomine Patris · et Filii · et Spiritus Sancti, obsecrans misericordiam ipsius Domini ac unius Dei nostri, ut, fugatis omnibus doloribus · vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus et salus, quatenus per huius operationem mysterii · et per hanc sacri olei unctiōnem · atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam et magis roboratam recipere merearis sanitatem. Per. In nomine.

¹ *Rasura*

² *Rasura (?)*

³ *Orig. del.*

14. Ad inguinem:

Ungo hanc ínguinem de óleo benedícto, ut, quicquid per ardórem libídinis peccásti, per virtútem sanctæ Trinitátis hæc sacri ólei únctio depéllat. Per. In nómine.

15. Ad renes:

Ungo renes <...>¹ istos óleo sacráto, ut, quicquid per tentatióem seu lascíviám carnis contrárie /120⁷/² Sancti Spíritus benedíc[.....] díluat.

16. [Ad manus:]

Ungo has manus de óleo benedícto, ut, quicquid illícito vel nóxio ópere peregérunt, per hanc unctiódem evacuétur. Per. In nómine.

17. [Ad pedes:]

Ungo hos pedes de óleo benedícto, ut, quicquid supérfluo · vel nocívo incéssu comisísti, ista abóleat perúnctio. Per. In nómine.

18.

PER istam sanctam unctiódem, et ministérium nostrum, et Dei benedictiódem · mundéntur et sanctificéntur ab omni sorde · et contagiódne peccáti manus, et hi pedes, cor quoque, tactus, odorátus, sensus, visus, audítus, gustus, totum corpus, ac ánima tua, ut idóneus efficiáris ad invocándum Deum, et benedicéndum, atque sanctificándum in nómine eiúsdem Dómini nostri, Iesu Christi, reddátque tibi Dóminus lætítiam salutáris sui, et spírítu principáli confírmet te, et Spírítum Sanctum ínnovet in visceríbus tuis, et ne áuferat illum a te, sed benedíctio Dei Patris · et Fílii · et Spírítus Sancti · descéndat super te, quæ copióse super caput tuum deflúat, et in extrema totíus³

L A C U N A

¹ *Rasura, forte ad diplographiam renes delendam*

² *Superficies huius ultime pagine valde contrita est.*

³ *Ultima verba posterius confirmata sunt. Dehinc finem formulæ in ima pagina m. 3D (?) supplevit: cörperis tui descéndat, intérius exteriúsque te répleat, atque circúmdet, et sit semper tecum. Amen. In fine deest saltem una quaternio, ordines exsequiales et forsitan nuptiales continens.*